DE

PETRO BOESSATIO

(1603-1662)

AC

DE CONDITIONE LITTERATORUM VIRORUM IN DELPHINATU EADEM AETATE

Thesim Facultati Litterarum Parisiensi proponebat

C. LATREILLE

Universitati aggregatus

in Lycaeo Lugdunensi professor

VIENNAE ALLOBROGUM

EX TYPOGRAPHIA OGERET & MARTIN

M DCCC XCIX

DE

PETRO BOESSATIO

(1603-1662)

AC

DE CONDITIONE LITTERATORUM VIRORUM IN DELPHINATU

EADEM AETATE

Thesim Facultati Litterarum Parisiensi proponebat

C. LATREILLE
Universitati aggregatus
in Lycaeo Lugdunensi professor

VIENNAE
EX TYPOGRAPHIA OGERET & MARTIN

MDCCCXCIX

Abbati Gabrieli CAILLAT

qui olim in presbyterio me discipulum habuit

hoc opusculum gratus dedicavi

C. L.

PRAEFATIO

Totus in oblivione jacet Petrus Boessatius ; sunt qui etiamnunc, quamvis sint mediocres, ut non leguntur, ita tamen, interdum si quis forte in eorum mentionem incidit, velut e tenebris emergant, quippe qui aut amicorum numero aut legentium nonnullos aequales habuerint, qui, ingenio promptiores vel meliore fortuna usi, dum posteritati nomen suum propagant, eos quoque seu laudando seu vituperando ab oblivione vindicaverint.

Non ita Boessatio contigit : cujus pleraque opera typis non fuerunt mandata ; pauca vero ea, quae praelo subjecta sunt, nescio quo fatali casu, non primum enotuerunt ; vix nonnulla eorum exemplaria magno post intervallo monasteriorum ecclesiarumque quarumdam thesauris inserta sunt, ubi etiam nunc, si qua supersunt, latent, nec facile possunt erui.

Praeter haec Boessatius, anno ipso quo Capellanus librum eum, qui inscribitur *Memoire de quelques gens de lettres vivants en 1662*, composuit, mortuus est, maturius quidem quam ut mentio ejus in eo fieret. Bailletus postea heroïcum Boessatii carmen de *Martello*, quod fama acceperat nec viderat, versibus gallicis conditum esse putavit [1]. Nemini profecto praeter Chorerium, septimo decimo saeculo, Boessatii fama fuit curaei, cujus e libello, quem inscripsit *De Pètri Boessatii vita amicisque litteratis* [2], omnes qui postea de

1. *Jugement des Savants*. 1722, t. v. p. 255.
2. Gratianopoli, 1680.

nostro nonnihil certi ac veri scribere aggressi sunt, quasi e fonte hauserunt [1].

Cum tamen Chorerius opera ejus enumerare satis habuerit, mihi visum est pretium operae, nullo cum periculo ne rem jam actam, ut aiunt, agerem, de Boessatii libris ac praecipue de latinis poematis, quibus maxime valet, judicium facere. Adde quod legi et ea quae edita sunt, et ea quae non typis sunt mandata ; inde Chorerii libello nonnulla adjeci, pauca emendavi ; ac praesertim hanc opinionem falsam de operum quadam amputatione labefactare placuit ; quae Chorerio jam mortuo orta, cum ab ipsis Allobrogibus, quos de cive quodam suo fore certiores putabant, defensa sit, fidem habuit [2].

Me quidem non fugit haud multum ad litterarum gallicarum laudem interesse ut Boessatii opera oblivione exstinguantur. Ea tamen evolvi non posse mihi visa sunt, quin pauca etiam de quibusdam clarioribus viris dicendi facultas et occasio praeberetur. Inde factum est ut materia ea, quam primum exilem ac minus latam esse putabam, mihi cresceret. Namque Allobroges, cum Boessatium, municipem suum, peritissimi doctrinae magistri loco haberent, eo auctore et quasi duce, aut litteras adamare aut amplecti quoque coeperunt. Quorum plerique, fateor, praeter Chorerium Salvagniumque Boessium, nunc, ut aequum est, in oblivione jacent. Non continuo ii tantum scriptores, qui principem locum obtinuerunt, in tota litterarum historia perscribenda, ceteris inferioribus praetermissis, spectandi sunt ; ac, nisi fallor, operae pretium esset, etiamsi hoc unum ageretur ut quanto Parisienses ingenio ac sensu omnibus praestarent, ostenderemus, quae, aetate

1. Hic praecipuos collegi :
Pellisson et d'Olivet : *Hist. de l'Académie française* (édit. Livet), 2 vol. 1858, passim.
L'abbé d'Artigny : *Nouveaux Mémoires d'histoire, de critique et de littérature*, t. II, p. 1-18 (1749).
J. Ollivier : *Revue du Dauphiné*, t. I, p. 23-25.
A. Rochas : *Biographie du Dauphiné*, t. I, p. 150-155 (1856).

2. Cf. D'Artigny : *op. cit.*; J. Ollivier, *Rev. du Dauph.*; A. Rochas, *op. cit.*; Charvet : *Fastes de la ville de Vienne* (quem codicem primum Viennae edidit Savigné).

illa, artium litterarumque studia in provincia quadam fuissent exponere.

Praeterea Boessatius cum iis, qui tum Lutetiae principes in numero litteratorum habebantur, nonnihil rationis habuit ; de quibus quid senserit, cum in ipso summa apud Allobroges auctoritas esset, commemorare satis erit, quo planius intelligi possit, quanti in Delphinatu illi viri, Galliae decus et ornamentum, aestimarentur. Denique pauca, quae ad eorumdem vitam moresque pertinent, per Chorerium nobis tradidit. Ego vero si quid novi hac de re afferre potuero, satis amplam laboris mercedem habebo.

Pleraque documenta, quae attuli, e Boessatii codicibus manu scriptis, quos mihi, in archio Viennensis Hospitalis servatos, vir benevolentissimus Tonnérieux in manus dedit, eruta sunt. Ea autem, quae in vulgus emissa sunt, in Bibliotheca Lugdunensi evolvi ac perlegi ; praeterea libros quosdam vel libellos perraros, quos et Chorerius scripsit, et viri alii, a Delphinatu oriundi, in Bibliotheca Gratianopolitana, cui erudissimus vir E. Maignien praepositus est, adire potui ; gratias denique agere liceat et diligentissimo investigatori Morand, et doctissimo viro eruditissimoque H. de Terrebasse, qui mihi libros et codices permultos, quos comparaverat, magnifice commodavit.

PARS I

De vita Petri Boessatii

CAPUT I

DE BOESSATII FAMILIA

Boessatius a gente Allobrogica ortus est, quae, sive nonnulli claritate praestantes viri inde erant nati, sive generosae quaedam affinitates junctae erant, jam e tenebris in lucem venerat; recentior tamen Nicolaï Chorerii opinione: is enim ad hanc gentem falso refert hunc locum: « Gilles le Bouvier, premier Héraud du Roy Charles VII, sous le titre de Berry, est auteur d'un Armorial qui est au pouvoir du sieur du Boucher. Il comprend le nom et les armes de plusieurs familles nobles de France, d'Espagne, d'Angleterre, d'Ecosse, d'Italie, d'Allemagne, de Lorraine et de Brabant. L'escusson des armes des Boissat, avec leurs esmaux, y est représenté, entre celles de quelques autres de Dauphiné avec ce titre au dessus, *le sieur de Boissat* [1] ». Minime contra dubium est quin Boessatia gens a Turri Pini oriunda sit. Testatur ea charta, gallice dicta *statutum Turris Pini* [2], in qua annis 1520-1530 de Thoma Boessatio, Johannis filio, centurione castello praeposito, mentio facta est. Testatur quoque Boessatius noster, qui genealogiam [3] ipse suam manu descripserat; cujus hanc partem, quae ad rem nostram pertinet, transcribere liceat:

1. *Suppl. à l'Estat polit. du Dauphiné*, p. 117. In eodem errore versatur Saint-Aubin: *Hist. civile de Lyon* (1666, Lyon), p. 145.
2. Typis mandavit F. Gauduel, 1895. p. 28.
3. Exstat in bibliop. H. de Terrebasse; per eamdem et emendatur et expletur genealogia a Rivoire de la Bâtie in *Armorial du Dauphiné* edita.

Jean,	marchand au terrier de Saint-Chef.
Thomas,	bourgeois au terrier de Saint-Chef et de la Silve-Bénite, capitaine et chastelain de la Tour du Pin.
Antoine,	marié à N. du Bonnet, d'où le fief d'Avernais [1].
Pierre,	seigneur d'Avernais, marié à Marguerite Mitalier de la Tour du Pin. — Anobli en 1586, vi-bailli de Vienne.
Pierre	Boissat d'Avernais, vi-bailli de Vienne, mari de Marie Athiaud, dame de Licieu et de Villeneuve du Plat en Lyonnais.
Pierre	de Boissat, seigneur de Licieu.

Inde patet poetae nostri avum patremque Viennae praetores praefuisse; magnam sui famam reliquerunt, atque filius maximis quidem, haud tamen immeritis his laudibus eos extulit:

Ambo qui celebri Praetores sede fuistis,
  Pulchra Viennaei qua patet ora soli....
Ambo pares animis, vitaeque insontis honore,
  Hic genio, et studii sedulitate prior [2].

Tradunt avum ita litteris graecis eruditum fuisse, ut proximo saeculo nonnullae epistolae, quas graece scripserat, summam admirationem haberent quippe quae doctrinam reconditissimam declararent. Cum autem de rege catholicorumque partibus in civilibus bellis optime meruisset, praetor Viennensis (gallice *vice-bailli*) creatus, ad summam dignitatem civitatis pervenit. Petrus I mortuus est anno 1598.

Petrus II, postquam Valentiae a Cujate magistro jus didicerat, clarissimas scholas quae tunc in Europa erant, ut studia absolveret, frequentavit; Viennam denique reversus, paulisper patronus causas egit, mox patri suo praetori successit. Cum incorruptissimus magistratus [3], tum fidissimus regis minister, multum valuit ut anno 1595 Viennenses in regis deditionem

1. Circa annum 1547: cf. Gauduel, p. 34.
2. *Boessatii operum fragmenta. elegiar. liber III*, p. 323. — N. Chorier (*Recherches sur les antiquités de Vienne*, p. 74), et V. Teste (*Moniteur Viennois, 15 janvier 1865*) Boessatii parentum epitaphia retulerunt, quorum cineres Viennae ad D. Andreae, quem inferiorem vocant, erant repositi.
3. Quem eximia laude Chorerius ornavit in libro qui inscribitur: *Magistratus causarumque patroni veri ac perfecti Icon absolutissima.* Viennae, M·DÇ·XLVJ.

venirent. Quem pro tantis in rempublicam beneficiis Henricus quartus, decreto eo, quod antea patris honoris causa factum erat, sancto et confirmato, in patriciorum numerum adcisci jussit [1].

Patre haud multo inferior graecarum litterarum scientia fuit Petrus II; at imprimis in omni historia curiosus, duos libros et diligentissima rerum investigatione et orationis frugalitate quadam verborumque gravitate excellentes conscripserat. Quorum unus, qui inscribitur *Histoire des chevaliers de l'ordre de l'hospital de Saint-Jean de Jérusalem* (1612), postea dignus visus est qui typis iterum mandaretur [2]; alter, quem Mariae Medicensis, Galliae reginae, in honorem, ut viros clarissimos a gente Medicensi ortos laudibus prosequeretur, componere aggressus erat, inscribitur: *Le Brillant de la Royne, ou les vies des hommes illustres du nom de Médicis*; neque vero in lucem venit, nisi curante filio Andrea, mortuo nuper scriptore (1613). Is enim, cum renibus aeger calculorum pellendorum causa Lugdunum advehi se jussisset, testamento ante d. XVII Kal. maj. conscripto, mortem obiit.

Cui nupserat Maria, Matthaei Athealdi (gallice *Atheaud* vel *Athiaud*) filia, a gente Lugdunensi nobilissima [3] orta, qua nulla praestantior fuit forma necnon ingenii dotibus, auctore Rubysio: « Si je voulois pour grossir mon œuvre m'amuser à discourir de la perfection de nos Dames Lyonnaises, je pourrois à bon droict mettre en avant pour un parangon de vertu Damoiselle Marie Atheaud, et le faisant je rendrais le devoir à la mémoire de feu maistre Hugues Atheaud, son oncle, l'un des meilleurs de mes amis, et par la mort duquel je peux dire avoir perdu la moitié de moy mesme; mais je me contenteray de leur tesmoigner mon affection par ce petit quatrain:

Si la vertu estoit perdue,
Ou parmi le monde incogneue :

1. Vide instrumentum mss. quod exstat in Bibl. H. de Terrebasse, et *Remerciement au Roy par les anoblys du Dauphiné, par P. Boyssat* (1603).

2. *Divisée par chapitres et augmentée de sommaires, par J. Baudouin, Paris*, 1629, 2 *vol. in-folio.*

3. Ab ea gente multa Deo data et sacra condita fuisse accepimus: cf. *Archives historiques et statistiques du département du Rhône*, t. II, p. 140. — Saint-Aubin, *op. cit.*, p. 145. Lugduni viam (Boissac dictam) aperuit Andreas, nostri frater: cf. Breghot du Lut et Péricaud; *Biogr. Lyonn.*, p. 40 et F. Desvernay: *le Progrès illustré*, 12 *février et* 5 *mars* 1899.

On en trouverait le modelle
En ceste Marie : ou tout elle [1].

Inconditi quidem versus, veniam tamen poetae dare licet, ut qui ex animo scripserit.

Ex ea liberos septem Petrus II procreavit :

Andream Athealdum *de Boissat*, postea equitibus praefectum, de quo infra plura scribemus.

Petrum III, cujus vitam exponere mihi propositum est.

Claudium, Melitensem equitem, qui Melitae circa annum 1630 decessit.

Abelem *de Boisssat*, in Allobrogica legione centurionem, qui, cum apud Valentium Insubrum anno 1634 pugnaret, cecidit.

Clementiam et Margaritam, quae a teneris annis rebus divinis se devovere in coenobio Viennensi divi Andreae consecrato.

Mariam, conjugem Gasparis a Viriaco, nobilissimi apud Allobroges senatoris, praematura morte exstinctam.

CAPUT II

DE BOESSATII PUERITIA ET ADOLESCENTIA (1603-1627)

Anno 1603 [2] in lucem editus est Petrus III *de Boissat* in urbe Vienna, quam ipse his versibus celebravit :

Nunc tamen (ô fati leges !) illa inclyta regno,
Illa suae longo tempore gentis honos,
Hei mihi ! cervicem senii sub pondere curvat,
Vix unquam in primum restituenda decus...
At licet in media degat lacerata ruina,
Nescio quid primae nobilitatis habet [3].

1. *Histoire de Lyon*, 1604. Lyon, in-folio, p. 19.

2. Regestis parochiae a divo Andrea dictae (gallice *Saint-André-le-Haut*) frustra evolutis, cum multae desint paginae, nihil, fateor, de Boessatii baptismate inveni ; nostrum tamen anno 1603 in vitam venisse inter omnes, qui de vita ejus scripserunt, constat ; ceterum testatur ipse Boessatius, cum bellum anno 1621 gestum ita describit :

Septima de decima vixdum mihi clauditur aestas,
et tenerum duro tunditur ense latus. (Eleg. I, lib. III).

3. *Eleg. VIII, lib. III.*

Cum in ludo, modo Viennae a Jesuitis aperto (1604), educaretur, in grammaticae ac litterarum studium incumbens, in utraque re multum valuit; magistris autem usus est Andrea Caderio, ac Balthazaro de Bus, quem postea doctissimum unus e Boessatii discipulis clarissimus, nomine Dionysius Salvagnius Boessius, his verbis significavit:

Prima fuit tenerae delecta Vienna juventae,
  Ausonios docuit prima Vienna sonos;
Haerebit memori Busius mihi pectore fixus,
  Ille sodalitii lausque decusque sui [1].

Boessatius praesertim in versibus latinis faciendis omnes sodales suos antecellebat; quin imo, ut Chorerii verbis utar, « quo momento prosa oratione praeceptores gallice dictabant, quae in latinum sermonem converterentur, ea Boessatius latinis versibus bonis et luculentis reddebat [2] ». Amplior quidem justo haec est laus, ut apparet ex elegia quadam, a Boessatio septemdecim annos nato scripta, cujus pauca afferre liceat:

Ille meus Rhodanus, gelidas qui natus ad Alpes,
  Concitat abrepta mista fluenta nivi,
Et tonat insano circum cava saxa fragore,
  Et late dominas imbribus urget aquas...
Ad quem ludenti Nais mihi plurima conchas,
  Ludenti violas plurima Nympha dedit [3].

Haud profecto inconditi versus, si orationis lenitate et ornatu judicandum est; si ingenii vi atque ubertate, minus boni, quippe qui ludi alumnum, ut aiunt, redoleant, nedum poetam, divino quodam spiritu incitatum, indicent.

Non tantum in grammatica ac litteris, sed etiam in omnibus studii generibus ita profecisse dicitur Boessatius, ut anno 1623, dum Melitam navigabat, comitibus suis Geographiam, cum libri et tabulae deessent, explicare potuerit. Denique philosophiae studium aggressus, sibi haud imparem se praestitit.

1. Cf. A. de Terrebasse: *Relation des principaux évènements de la vie de Salvaing de Boissieu*, Lyon, 1850, p. 87.
2. *Vita*... p. 23. — Ceterum his temporibus celeritatem illam ad verba versu includenda haud perraram fuisse exemplis multis comprobare obvium proximumque sit; vide Huetii, *Comm. de rebus ad eam pertinent.*, p. 18.
3. *Elegia I, lib. III.*

Non igitur mirum est, si discipuli et ipsi magistri eum *Mentem* cognomine (quod, dum vixit, retinuit) appellaverunt.

Primum a patre ecclesiastico ordini destinatus atque ab Andrea Valaderio, Divi Arnulphi apud Metenses abbate, quem affinitate contingebat, successor optatus, jam vestem promissam, quae clericorum est, induerat; sed eam, demortuo patre, ut juri studeret, exuit. Incertus tamen erat, quam vitae viam ingrederetur, cum vero fama Viennam perlata est Lesdiguerium oppida nonnulla Helviorum juxta Rhodani ripam, quae cum Hugonoti tenerent, mercaturae obstabant, expugnaturum esse; cum jam et multi juvenes e Vocontia, Viennaeaque et Segalaunica nobilitate Lesdiguerio se adjunxissent, et comes *de Maugiron* Viennensis, regiorum castrorum marescallus, peditum copiis praeesset, et Petri frater ipse, natu major, Andreas Boessatius, turmae signifer creatus, huic expeditioni adesset voluntarius, noster quoque, nomen professus, ad bellum profectus est (1621).

Ita Boessatius Pusinensi obsidioni interfuit, cui cum egregie praefuisset Lesdiguerius, paulo post comistabilis est constitutus [1].

Pace cum Hugonotis facta, multi loco nobilissimo orti juvenes, quia compressis manibus, ut est in proverbio, sedere nolebant, sua voluntate classici milites facti, ad classem Melitensium equitum, quae tunc ad oram Massiliensem appulsa erat, convenerant. Boessatius autem, amico Gaspare Poësio Passagaeo hortante, ne occasionem, cum daretur, praetermitteret, invisendi insulas quae in mari Mediterraneo sunt, imprimis Melitam, quae patris ejus gratissimam memoriam retineret, conscendere navem statuit, ceterum, ut verbis ejus utar, « maxime adversus Christiani nominis hostes manu pugnandi desiderio; quanquam illud mihi tum potius ab insita laudum venandarum cupidine, quam a vero pietatis impulsu procederet [2] ». Id tamen explere non potuit; nam rerum praesentium necessitate factum est ne ipse neve amici annuae triremium in Barbaros excursioni interfuerint; itaque, invisa Melita, in Galliam redire consilium ceperunt.

Paucis post diebus, ad Narbonensis provinciae oram navem appulerunt; tunc ei pro rege praeerat

1. *Boessatii operum fragmenta, relatio prima*, p. 9.
2. *Relatio secunda*, p. 26.

Henricus Momorantius, nobilitatis Gallicae clarissimum lumen; qui, cum Boessatium, fama et ingenii commendatione florentem adulescentem, plurimi faceret, operam enixe dedit, ut beneficiis sibi devinciret. At noster, nec laudibus nec amicitia illectus, Lutetiam profectus est; ibi quoque mox in magno honore fuit; testis est Salvagnius Boessius, municeps ejus, qui tunc ad amicum quemdam Cularonensem haec scribebat: « Boissat se faict jas tout blanc de son espée, n'aiant autre surnom à la cour que celuy de Divin [1] ».

Inter haec, Ludovicus tertius decimus atque Emmanuelus, Subalpinorum Sabaudonumque princeps, bellum Genuensibus illaturi, exercitum confecerant; copiisjunctis, imperii summum tenebat Lesdiguerius; Boessatius autem in legionem Sancii Harlaei ductui creditam centurio accitus est. Adfuerunt quoque huic expeditioni Ligusticae et Claudius Boessatius, Melitensis eques, et Andreas; qui quanta virtute pugnaverit, e Petri quadam relatione novimus [2]. Fratrem fere aequabat Petrus, quippe qui calamo quoque, non tantum ferro propugnaret. Is enim, ut crimina inique conficta, quibus hostes Gallicis militibus infamiam aspergebant, refelleret, in castris ipsis scripsit *Epistolam Apologeticam pro Francisco Bonnaeo Diguera, Franciae comestabulo, Ligurum fines invadente, ad Urbanum Pontificem Maximum* [3]. Sed adversa valetudine inhibitus, ante finem belli factum ab exercitu discedere coactus est, ut Augustam Taurinorum lectica veheretur; inde, viribus collectis, Viennam ad suos rediit [4].

Cum, e morbo recreatus, Parisios Boessatius iterum venisset, per Momorantium Gastonem, Aurelianensem ducem ac regis fratrem, adiit atque ei se addixit (1627). Sed nunc ingredior in annos illos, quibus noster summa gloria floruit; itaque vitae pars ea copiosius exponenda est.

1. Vide litteras a Boessio ad Expillium missas, die quarto Aprilis 1623, quas edidit H. Gariel, in *Le Dauphiné*, die vicesimo sexto junii mensis 1861 — Cf. *Dictionnaire de Littré*: « se faire blanc de son épée, se justifier par son épée, comme on faisait dans les combats judiciaires, et, par suite, se prévaloir d'un crédit, d'un pouvoir qu'on n'a pas. »

2. *Relatio tertia*, p. 49: « alios praecedens graviorem hausit periculi partem: ad duodenos ictus, seu chlamys, seu equus bellator excepere. »

3. Cf. Codices Boessatii in Archio Vienn. Hosp. H. 62.

4. Vide *Elegiam III, lib. III* — Nota ei omnia fecerat unus ex amicis, Videllus, atque ordine quomodo res gestae essent, perscripserat: cf. *Lettres du sieur Videl*, Grenoble, 1631, p. 113 et 124.

CAPUT III

DE BOESSATIO GASTONIS AURELIANENSIS DUCIS COMITE

Non fuit initio Boessatius in eorum numero, qui nobiles cubicularii dicti a Gastone erant, at tamen ab anno 1627 a principis latere non discessisse videtur. Quem primum insulam Rhaeam ad propugnandam, in quam escensionem fecerant Angli, proficiscentem comitatus est; una militiam capessiverunt quatuor millia voluntariorum, nobili loco natorum, qui, ut ait scriptor quidam ejus aetatis, in terram egressi sunt, « avec une telle gaîté, qu'il faut avouer n'être permis qu'à la nation française d'aller si librement à la mort pour le service de son roi ou pour son honneur [1] ».

Anno insequenti (1628), cum regis copiae obsidione Rupellam clauderent, et Gasto, antequam oppidum caperetur, Lutetiam reverti decrevisset, Boessatius atque una multi principis comites, in castris manserunt, ut expugnationi interessent. Cujus rei ad memoriam postea carmen condidit, quod inscribitur *Rupella in Angustiis*, atque in eo urbem ipsam se nulla vi jam resistere posse confitentem finxit :

......ferro, flammisque lacessor;
Terra negat victum ; saevit mihi pestibus aër;
Ac ne praestet opem, promissaque munera pendat,
Cessit abacta suis e finibus Amphitrite.
Unde aliquid sperare licet ? [2]

Deinde Gasto, postquam satis diu Lutetiae commoratus est, Gallia relicta, in Lotharingiam confugit. Principem quasi triumphantem multi prosequebantur : « Comites, ut par erat, numerosi, atque inter eos primariae notae proceres adfuere ; neque enim, post hominum memoriam, alius Regis frater, vel ex nobiliori juventutis flore sibi legit comitatum, vel splendidiore pompa, supremae suae dignitatis decus, atque existimationem tutatus est [3] ». Nequicquam eos

1. Quod jam attulerat Bazin, *Histoire de France sous Louis XIII*, t. II, p. 77 — cf. *Relatio quarta*, p. 60.
2. *Sylv. lib.* I, p. 247.
3. *Silva — ducensis expugnatio*, p. 71.

minis insequi, jubente Richelio, unus de istis scriptoribus, qui libellis pro cardinale nitebantur [1]; nequicquam regni minister ad asperiora consilia descendere.

In ipsa Lotharingia Boessatium in cubicularios nobiles cooptatum fuisse ait Chorerius [2]. Tum vero, ut nobiles ii, qui circa principem erant, bello nondum orto, undique vagabantur, ita Boessatius in Belgium profectus est, nam illi « Silva-ducensis obsidionis, qua de multa et magna circum ferebantur, oculis usurpandae ingens incesserat desiderium [3] ». Maximam ei admirationem opera conspicua, quae obsessores fecerant, moverunt; dum autem ex itinere redit, Belgarum praecipuas urbes, Neomagum, Ultrajectum, Amsterodamum, Lugdunum, Hagam, Roterodamum, invisit.

Interea Gasto, cum bellum moliretur, undique socios conquirebat; quod quidem narravit Chorerius, Boessatium ad Momorantium missum fuisse, quem ad rebellionem incitaret, atque « ita apposite ad persuasionem dixisse, nihil ut ille roganti opem negaret [4] », id esse falsum comperimus. Alias profecto, haud tamen minoris momenti partes suscepisse eum certum est [5]: quippe Mariam *de Medicis*, Bullionaeum ducem, Carolumque Lotharingiorum regulum, ad defectionem trahere, atque a Valstenio impetrare, ut, copiis ad Galliae fines admotis, regis exercitum distineret, jussus erat. Qui cum Gastonis causae amicissimi essent, haud sane praecipuus in ea re erat labor; sed arduum erat et provincias a regis militibus occupatas transire et Nanceium pervenire unde Belgium petere liceret. Tanto negotio non fuit impar Boessatius.

1. Du Chastelet, *Advis aux absents de la Cour* (1631):

Gaston, c'est trop courir, revenez au logis
Tout droit à Montargis;
Et ne prétendez plus que l'Empire et l'Espaigne
Puissent rien en Champaigne:
Vous avez fait assez le chevalier errant
Avecques Puylorant.

Quod jam attulerat René Kerviler, *La presse politique sous Richelieu et l'Académicien Jean de Sirmond (Le Correspondant)*, 10 et 25 mars 1876.

2. Viginti sex erant, quibus argenti mille librae singulos in annos pendebantur.

3. *Fragm.*, p. 72.

4. *Vita*, p. 45.

5. Quod ad Momorantium attinet, vide Boessatium, p. 133, et librum Ducrocii, Momorantii amanuensis, qui inscribitur: *Histoire de la vie de Henri dernier duc de Montmorency*, 1643 (p. 257). Adde Broessatium ac Ducrocium summa inter se familiaritate conjunctos esse: cf. *Vita*, p. 76.

Carolo minore conatu ad bellum inducto, dum noster Mariam *de Médicis* adire parat, nuntiatur Momorantius apud Neocastrum Arrianorum et victus et captus, mox capitis damnatus. Cujus exitu, quod cum ad majora natus esse videretur, inique periisset, gravius noster est commotus; ac postea, Momorantium moriturum ac regi memorantem quo loco ortus, qua gloria comparata, quibus egregie factis in bello, quibusque praeclaris officiis regno delatis, ad supplicium tamen raperetur, in poemate finxit:

Qui conjuratos castris, et classe rebelles
Exuere, atque una potui bis fundere luce...
Usque adeone fugit quales tibi Marte pararim
Exuvias? quot bella gerens confecta trophaeis,
Praestiterim pulchram fors longa in saecula pacem [1].

Quas conditiones Gasto, pacem orare coactus, subierit, Boessatius exposuit. Quantum autem dedecus, acceptis iis condicionibus, admisisset Gasto, ut qui saluti suae potius quam gloriae consuluisset, si minus haud intellexisse, at saltem tacuisse noster videtur.

Ceterum princeps, vix redux, iterum exiit, seu pacis istius turpissimae factae pudore, seu mobili suo ingenio ductus; una cum eo Boessatius Belgium repetiverat ; ibi, cum Carolus, Lotharingiorum regulus, Germanos latrones, qui more suo aliquot regionis loca populati essent, propulsurus puniturusque exercitum comparavisset, Boessatium legatum (vulgo vocabant *vice-colonel*) in legione ducenda sibi Blainvillaeus adscivit; at, paucis post diebus, cum ad Paphnoviam infelici Marte pugnatum esset, Brussellas reversus, ducendam Bentivoliam legionem suscepit. Tunc demum Gasto, quod inter hostes Galliae infensissimos adesset, eo et patriae et gentis oblitum de statu dignitatis suae se decedere sensit, ac, rebus cum rege compositis, in patriam rediit, comitante Boessatio : hic ei fuit finis militiae.

Multis igitur ac variis casibus jactatus est Boessatius: cui saepe fortuna defuit, virtus nunquam. Ideo cum Viallerius abbas, qui viri, ab eadem gente orti, gloriam e rebus praeclare gestis comparavissent, memoraret, recte ac merito de Petro Boessatio exclamavit: « Son espée ne luy a pas moins acquis de gloire

1. P. 254.

que sa plume; sa valeur ne fust jamais assoupie, et s'il est arrivé des intervalles à ses employes, il n'est point arrivé d'éclypse à son courage [1] ».

Summo certe studio in re militari versatus erat, neque tamen totus nec Musarum immemor: qui, cum in Viennensi collegio erudiretur, nonnullos jam versus composuerat; deinde ad pugnandum cum Hugonotis profecturus, Musas quidem omiserat, sed invitus, atque, ut sperabat, in exiguum tempus.

Etenim, non Lutetiae tantum, ut suo loco narrabimus, sed etiam in castris, nihil fere litteras colere intermisit [2]; itaque Johannes Busserius, quo familiariter uti solebat, cum in poemate, quod *de Rhea Liberata* scripserat, Gastonem Aurelianensem tabulam Rubeni, qua expromuntur bella Duci Audino pugnata, spectantem introduxisset, nostrum quoque disputantem et canentem finxit:

Gasto amat et pictum Martem, seriemque requirit
Historiae (juvenes animos rapit aemulus ardor)
Boissatumque vocat. Minor hic, celebrisque per artes
Ingenii, Musis charus, doctaeque Minervae,
Cujus in ore sedet Pytho mellitaque condit
Dona Sagax, major frater dum bella sequutus
Martia, fulmineo nomen sibi comparat ense,
Hic Tabulam evolvit, mutaeque silentia rumpit [3].

Lutetiae autem maxime Aureliani ducis in Academia quasi clarissimum lumen Boessatius enituit: nam Gasto, in quo erant, ut in principe, multae litterae, operam sedulo dederat ut viros perfecte ac plane eruditos circa se haberet: e quibus clarissimos, Bellotium, Caudabonium, Vetturium, Valgelasium nominatim proferre satis erit [4]. Imo Huetius de amico quodam suo scripsit: « Aiebat Gastonem, ut ingeniosa quadam ipse erat hilaritate conditus, ita apud se collegisse homines singulari festivitate atque excel-

1. *Oraison funèbre sur la mort de Messire André Atheau de Boissac*, Lyon, 1664.
2. Multos quoque alios, cum vitam in castris degerent in litteris elaboravisse testatur Campio in commentariis, p. 87.
3. *Joannis de Bussières e societate Jesu Miscellanea poetica*, Lugduini, 1675, p. 485.
4. Eodem fere tempore, Nicolaus Faretus, cum scribit Valgelasio, qui ab Aureliano duce in Palatinorum cohortem modo cooptatus erat, his verbis utitur: « Tout le monde espère de voir désormais fleurir avec luy le siècle des honnestes gens. » *Recueil de lettres nouvelles des meilleurs auteurs de ce temps*, 1632, t. II, p. 85.

lenti solertia praeditos...; adeo ut Gastonis aula urbanitatis ipsius videretur esse domicilium [1] ».

Inde liquet Gastonis aulam ceteris circulis, qui ineunte saeculo, antequam Academia Gallica instituta est, simillimam fuisse, eo ipso insignem, quod in ea maxime de iis rebus quae ad litteras eruditionemque pertinent, disputabatur: « Il faisait venir une ou deux fois la semaine quelques-uns de ses principaux officiers et gentilshommes dans son cabinet, où l'on mettait sur le tapis quelque question morale ou politique, dont chacun devait dire son avis à l'assemblée suivante [2] ».

Boessatius autem ingenii laudibus ac litterarum scientia efflorescebat, auctore Chorerio [3]. Apud Gastonem fortasse habuit orationem *de nihilo*, atque eam, in qua quaerebat *si la poésie doit être abandonnée comme nuisible ou recherchée comme profitable*; cujus de exordio pauca, ut in dicendo Boessatii facultatem perspicere possis, transcribam: queritur quod poeseos assertores « négligent de venir à son secours... aussi le bruict de ceux qui la déshonnorent, a rempli de telle sorte l'oreille des indifférents que (comme il arrive auprès des escluses du Nil) on n'entend presque plus la voix de ses défenseurs, qui protestent tous au contraire qu'elle s'applique aux louanges perpétuelles de nostre Dieu; qu'elle éternise le nom et la vertu de ces héros qui ont icy bas la gloire d'estre ses plus fidèles images, qu'elle loue plus souvent les gens de bien qu'elle ne condamne les vicieux, que des Roys, des philosophes et des saincts n'ont point faict difficulté de s'en aider, qu'enfin s'il est survenu quelque désordre par le ministère des vers, c'est plustost au poète qu'à la poésie qu'il en faut faire des reproches, puisque ce n'est pas de la nature de son art, mais de sa propre malignité, qu'il tient l'injustice d'en abuser [4] ». Eo tempore, cum ita verba faceret Boessatius, pauci atque admodum pauci erant, fateor, qui tam copiose, tam expedite dicere, ac sententias in numerum ita redigere possent, ut in aures oratio influeret.

1. *Comment*... p. 251.
2. *Mémoires de Gaston d'Orléans*, t. I. p. 63. — De eadem Academia Talemantius *des Réaux* more suo detraxit: « Monsieur s'avisa une fois de faire une espèce d'Académie chez lui, où il mit pour rire plus de quatre personnes qui savaient à peine lire...... », *Historiettes*, t. II, p. 282 (édit. Monmerqué et Paris, 1854).
3. *Vita*.... p. 32. — Errat tamen Chorerius, cum Boessatium in Gastonis Academia de amore corporum disseruisse refert.
4. *Cod*. H. 51. *Troisième Harangue Académique*.

Me autem non fugit nobiles eos, Gastonis comites, animi relaxandi causa, jocis interdum illiberalibus ineptisque delectatos esse ; qui in Principis Academia de litteris et vita ac moribus graviter disputaverant, eosdem in eumdem locum certis diebus convenisse ut licentius dissererent ; quocirca consilio ei cognomen istud « conseil de vauriennerie » inditum esse traditur [1]; ac si quis, quo lasciviae qui adessent prolaberentur, scire voluerit, legendo percurrat *les Poésies et rencontres du sieur de Neufgermain, poète hétéroclite de Monseigneur frère unique du roi* (1630). Initio libri collecta videre licet carmina, quae multa Gastonis comites, plura Boessatius in Novi-Germani honorem condiderant : quam autem illepidi versus ! quam absurdi ! quod Novus-Germanus cum insania sua laetatur, de semetipso nescio qua scurrili simplicitate dicit : » Non sic licet omnibus insanire », id eodem modo de poetis istis omnibus, maxime fateor de Boessatio dici possit.

Adde quod e scriptoribus iis, qui cognomine *libertins* vel *goinfres* appellati sunt, nonnulli cum nostro familiariter vivebant; imo Theophilus eum tam singulariter dilexit, ut filium vocitaret; cujus extremum spiritum prope factum est ut Boessatius exciperet [2]. Non sequitur ut ejusdem procacitatem, nimiam sermonum licentiam perditosque mores probaret; quod autem Chorerius contendere ausus est, scilicet Boessatium, quamvis Theophilo ejusque amicis familiaris esset, ab eorum consiliis factisque semper abhorruisse, id verisimile non esse videtur. Etenim per Faretum Santamantii ad amicitiam se contulit ; cui non apparet, cum Fareto, Santamantio, Hercurioque comite familiariter uteretur, eum quoque una cum iis tribus saepius potavisse, et commissationibus istis, quas vulgo vocabant *beuveries*, interfuisse? Quod si quis rem non satis in aperto esse aestimaverit, hos versus legat, quos condiderat Santamantius, suaves

1. Cf. D'Haussonville *Histoire de ta réunion de la Lorraine à la France*, t. I, p. 185.

2. Cf. *vita*... p. 35 : « Pridie quam moreretur, aliquot jam a diebus decumbentem in Momorantii aedibus, Boessatius inviserat..... Euchrasicholos, quorum se esu recreandum sperabat, ut ad se deferendos curaret, abeuntem valde rogavit. Atenim rem, quam valetudini obfuturam judicabat, Boessatius omisit. Cum recordabâtur, tam fuisse negligentem dolebat. Nam sic fortasse morbum levari potuisse, conjectabat. Ipsam interdum expetere corporum naturam, quae, quanquam valetudini contraria videantur, ad salutem plurimum conducant, conquisitis rationibus et exemplis disputabat. »

quidem necnon lepidos, ut quibus maesta facetiis misceantur :

Chantons, rions, menons du bruit,
Beuvons icy toute la nuit,
Tant que demain la belle aurore
Nous trouve tous à table encore.
Loing de nous sommeil et repos ;
Boissat, lors que nos pauvres os
Seront enfermez dans la tombe
Par la mort, sous qui tout succombe,
Et qui nous poursuit au galop,
Las! nous ne dormirons que trop.
Prenons de ce doux jus de vigne ;
Je vois Faret qui se rend digne
De porter ce Dieu dans son sein,
Et j'approuve fort son dessein [1].

Noster quoque, cum molestiis belli omniumque rerum penuria laboraret, temporis illius memoriam recordabatur, quo inter pocula et epulas cum amicis salibus ac facete dictis delectabatur :

Pendant que le pauvre Boissat
Tremblede froid dans une chambre
Où l'immondice et le pissat
Lui tient lieu de civette et d'ambre,
Et que tous les malheurs, fors que la seule mort
Contentent dessus luy l'insolence du sort,

Charmés d'un festin solennel
Entre la couchette et la braise,
Dans le quartier d'un colonnel,
Pendars, vous estes à vostre ayse,
Et ce qui m'est encor pire que le trépas,
C'est de vous sçavoir bien, quand je ne le suis pas.

Icy le roc que nous pressons
Armé d'une pointe cornue,
Porte sa neige et ses glaçons
Dans la surface de la nuë
Et le ciel entouré d'une épaisse vapeur
Frissonne, en le serrant, de froidure et de peur.

Le soleil y craque des dents,
L'air s'affuble d'une bruine,
Les pauvres arbres se fendans
Y meurent de la cristaline,

1. *Œuvr. compl. de Saint-Amant* (éd. Livet), t. I, p. 136.

Et le plus sain de tous, de rhumes affligé,
A les nerfs engourdis et l'estomac figé [1].

Tanta laude poetica Boessatius florebat, ut Capellanus hoc sibi decus esse putaret, quod poema, a se compositum, sub Boessatii nomine vagaretur [2]. Praeterea Nicolaus Borbonius, Daniel Priezacus, Marinus Curellus Chambraeus, Joannes Balduinus, Guezius Balzacius ac multi alii, cum studium erga eum non mediocre significabant, tum ingenium maxime laudabant.

Non igitur mirum est Boessatium in viros illos, quibus Richelius Academiam Gallicam instituere decreverat, cooptatum esse.

CAPUT IV

QUAS RES CUM RICHELIO ET ACADEMIA HABUERIT

Richelius, honoris ac fortunae summus in Gallia arbiter, ut Puilorantium magna cum Gastone necessitudine conjunctum, ita Boessatium, quo pluris nemo propter rei militaris scientiam ac poeticam laudem aestimabatur, ab Aureliano duce ad se transducere adortus est. Qua de re haec scripsit Chorerius : « Forte Richelius ad Regem curru vectus ibat obviamque factus Boessatius est. Quadam, quae antea non erat, oris alacritate, hunc accidisse gratissimum sibi et jucundissimum occursum ostendit : producto extra currum inflexoque capite, salvere Boessatium jubet. Praestantem virum, quem ad majora atque digniora promoveret, ex inimici Principis familia transcribere in suam cum animo suo deliberabat. Boessatii suus in Principem amor non consensit [3] ».

Sic quoque in gratia cum Richelio permansit : fortasse in gentem illam, qua ortus erat noster, cardinalis praecipuam navare benevolentiam volebat, ut qua ortus fuisset quoque Andreas Boessatius, fidissimus

1. Id carmen, nunquam praelo subjectum, exstat in Bibl. Arsenal, in cod. 4123, p 1235.
2. Verbis eis significatur poema quod inscribitur : *L'Aigle de l'Empire à la princesse Julie ;* idque condidisse Capellanus asserit in epistola ad Marchionem de Pisani missa (1634) : « Cette pièce de vers est rentrée dans sa modestie ; elle n'est ni desguisée, ni imprimée ; elle n'espère plus de passer sous le nom de M. de Boissac, et vous montre tous ses défauts en vous avouant qu'elle sort de moy » : *Lettres de Chapelain,* t. I, p. 82.
3. *Vita...* p. 55.

ille reipublicae custos ipsiusque Richelii propugnator, qui, cum in Occitaniam adversus Gastonem marescallus *de la Force* exercitum movisset, equitum copiis praefuisset; eumdem postea, ab obsidione quadam redeuntem, his verbis percivilibus Richelius salutaverat : « Vous estes l'un des deux seuls que je reçois avec joye et que je puis embrasser sans regret, parce que vous avez servi le Roy sans reproche [1] ».

Quod igitur Andreae merita respiciebat, eo Petrum, qui de Academicorum numero foret, deligebat; etenim noster nec inter eos Conrarti amicos erat, undecim numero, in Academiam quasi jure adscriptos, nec inter eos tredecim viros, quos deinde Academici, e Richelii sectatoribus laudatoribusque delectos, sibi adsciverunt; at tricesimus mense novembri vertente, paucis diebus ante quartum decembris anno 1634, cooptatus est [2].

Qui in eam sententiam disputavit, ut Richelius, Academia instituta, nihil aliud voluisset quam « créer un corps privilégié qui ne se composât que de littérateurs à sa dévotion, pour célébrer ses louanges sur tous les modes et sous toutes les formes [3] », is meo quidem judicio, paulum a veritate descivit, Nam sua Richelium sententia Boessatium delegisse in Chorerio planissime est scriptum : adde quod fere eodem tempore quo noster, delecti sunt Valgelasius, Vetturius, Laugerius (*Porchéres*) qui minus Richelio quam inimicis ejus semper faverant [4]. Tunc vero eo munere ornati, ne alienos ab Richelio animos jam haberent, maxime incitabantur : unde statim Laugerius de Academiae ac tutoris laudibus orationem habuit; Boessatius autem, ut ipse quam gratissimus plane cognosceretur, cardinalis laudes sincera fide cecinit :

Usque adeone homines hominem praecellere justum est ?
Usque adeone datur sese mortalia supra
Tollere, cognatasque Diis ostendere dotes ?
Et datur, et decuit jamnunc se attollere caelo,
Jamnunc Heroum vestigia sacra tueri,
Qui domat arte animos, vasto quem pondere rerum
Distinet implexis Europa exercita curis [5].

1. Cf. Viallier : *Or. fun.*, p. 16.
2. Vide A. Fabre : *Chapelain et nos deux premières Académies* (1890), p. 32.
3. René Kerviler, *Valentin Conrart* (1881), p. 39.
4. Attamen me non fugit hoc Richelium non aequo animo tulisse, quod Laugerius cooptatus erat ; quem ab Academia non amovit hac lege accepta « qu'on ne recevrait plus d'académicien qui n'eût été présenté au Cardinal et n'eût reçu son approbation » : *Hist. de l'Acad.*, t. I, p. 150.
5. *Sylv. lib. I*, p. 245. — Quod carmen in *Fragmentis* mutilum exstat.

Cum deinde Academia decrevisset ut loco quisque suo de ea re quam vellet disputaret, die sexto mensis Augusti Capellanus *contre l'amour* orationem habuit; post hunc. Maretius die tertio decimo ejusdem mensis *de l'amour des esprits* disseruit; Boessatius tandem, ut, Maretii auctoritatem secutus, amoris causam defenderet, *de l'amour des corps* orationem habuit : « Je me suis vu porté à ce sujet comme par une nécessité fatale... et j'ai soudainement perdu la liberté de l'eslection quand je vis attaquer par un agréable, mais dangereux auteur la puissance de la nature d'amour [1] ».

Nihil nisi corpus spectare placuit, quia « par une rare et heureuse promptitude je me vis devancé en temps comme en bien dire par un fort excellant esprit, qui randant à l'amour les commandements de tous les Esprits ne me laissa point d'autre service à luy faire que de le restablir à l'empire des corps ». Haec facilis erat disputatio, nec deerant argumenta e rebus ipsis ducta, quibus amoris obtrectatores istos confutare posset; ubi igitur parvo labore audientes ut credant adductos videt, sic perorat : « ainsi vous vous souviendrez que la plus belle moitié du monde n'est pas faicte pour donner du dégoust à l'autre, que c'est renoncer à l'amour de nous-mesmes que de fuir ce qui nous multiplie et que nos âmes ne sont point ennemies des désirs de nos corps, puisqu'elles nous prestent si souvent des escrits enchanteurs ou des paroles emmiellées pour en haster l'assouvissement ».

Res quidem, ex ea parte, qua minus gravis erat, posita erat; quod si, ut eam augeret, sicut et Graeci, nihil inter pulchra et bona interesse contendit ac deinde quid esset pulchrum quaesivit, certe nusquam a locis tritis ac pervulgatis discedere valuit nec quidquam aliud docuit nisi naturam inseruisse et « dans l'objet mesme le signe esclattant de la beauté » et « dans les esprits la secrette force de la discerner ».

Illud autem tibi animo occurrat, quod istae orationes quasi velocissimo calamo confectae sunt: satis testatur ordo temporum, quibus eas habuerunt; nec

1. Oratio ea in cod. H. 51 exstat, cui inscriptum est : *De l'àmour des corps, défendu au genre Judiciaire par des raisons tirées des principes mesmes de la natnre et de la vertu.* Eamdem invenias in Bibl. Nat. (fonds français nº 645), in eo libro qui injuria inscribitur : *Discours académiques de monsieur le mareschal de Bassompierre en forme d'épistres à monsieur de Balzac* ; re autem vera sunt in eo orationes septem, quae apud Academiam habitae sunt; inter quas ea oratio, de qua nunc agitur, septima : cf. P. Pàris, *les manuscrits français*, t. V, p. 270.

tam accurate ac polite Capellanus dixerat, ut, si pares haberi vellent, Boessatio ac Maretio responsuris desudandum esset atque elaborandum.

Postquam Boessatius orationem eam habuit, haud frequens cum Academicis congressus est ; imo Academiam, quasi nomen ipsum de memoria excidisset, anno 1637, in quibusdam litteris *Académie de l'éloquence* vocavit, quod vehementer Pellisso indignatur [1].

CAPUT V

BOESSATII CUM COMITE SALTIO JURGIUM

Cum autem noster, prosperrimo flatu fortunae usus, inter Gastonis comites et Academicos poetica laude ac militari necnon dicendi arte floreret, tum quodam iniquo casu in solitudinem ac tenebras discedere coactus est. Quomodo ille, anno 1637, cum Bacchanalia esse coepissent, Saltii comitis conjugi, qui pro rege Delphinatui praeerat, facetiis, ut eo tempore mos erat, sale conditis, iram moverit, adeo ut famuli comite jubente eum fustibus male mulcarent, nobis tradiderunt Chorerius, Talemantius, Segraisius et Pellisso. Quaenam jocose dicta jactaverit non satis constat : quippe Chorerius, verbis incertis usus, rem potius significat quam narrat; Segraisius quidem ait Boessatium comitissae forficem obtulisse « en lui disant qu'elle lui convenoit, parce qu'elle était une grande découpeuse [2] », quod perinde valebat tanquam eam maledicentem esse dixisset; cui tamen fides erit ob injuriam minimam saevissimam ultionem esse petitam ? A Pellissone accepimus Boessatium Academicis epistolam misisse, « qui contenoit une narration particulière de son malheur et des choses qui avaient précédé [3] »: quae cum desit, si plura persequi libet, ad Tallemantium adire necesse est ; qui inter alias res jecit Boessatium comitissae amores leviter significasse : « Il s'habilla en sage-femme, et avoit un escriteau sur l'estomac, où il y avoit ; *Il n'y a que moi de sage-femme*. Il dit quelque chose à la dame dont elle s'offensa fort, outre qu'elle prit

1. *Hist. de l'Acad.*, p. 18.
2. *Mém., anecdotes de Segrais, Œuvres*, t. II, p. 128 (1755).
3. *Hist. de l'Acad.*, p. 138.

l'escriteau à son désavantage Il luy dit aussi, en luy présentant des ciseaux, qu'il les lui donnoit, parcequ'elle découpoit fort bien [1] ». Quidquid id est, fuste Boessatius castigatus erat; primum ipse, dolore ac furore abreptus, cum comite de injuria expostulat, deinde iterum per Piennaeum marchionem, ad certamen provocat; negat comes, tanquam Boessatius ignobili loco natus esset; tum noster « escrivit sa desconvenue à l'Académie, car il croyoit qu'elle engageroit le cardinal de Richelieu à venger l'affront fait à une personne du corps [2] ». Sed Academici eo tempore controversiam eam, quae inter Cornelium ac Scuderium orta tantum ad litteras pertineret, dijudicare dubitabant; eo minus vel e suis unius injurias ulciscendas curaturi erant. Nobiles autem Allobroges, cum suam dignitatem in Boessatio laesam putarent, nostri defensionem susceperunt, et, comite pugnam detrectante, se in concordiam interposuerunt: tandem Bressius marchio, comes Cattaeus, Salvagnius Boessius, quibus de re tota cognoscere cura erat, mensium labore multorum, rem componere valuerunt; pacis instrumenta Pellisso in Academicorum historia edidit, quippe, ut ait ipse, « de tout ce qui a été écrit ou adressé à l'Académie, il n'y a rien dont la mémoire mérite mieux d'être conservée [3] ». Verumtamen Academicos de injuria Boessatio illata, haud multum elaboravisse, ex his litteris a Capellano ad Balzacium missis, die septimo aprilis anno 1638, intelligi potest: « La lettre de M. de Boissat à l'Académie est aussi surprenante que celle de M. de Scudéry;

1. *Historiettes*, t. V, p. 360. — De comitissa Saltia quae rumore malo flagrabat, vide quoque Bussy-Rabutin, *Carte géographique de la cour*, et H. de Terrebasse, *Poés. dauphin. inéd.* (1896, Lyon), p. 108:

Que tardez-nous, la non-pareille,
Des vertus la rare merveille,
Parfaite comtesse de Sault,
De venir de votre Bourgogne,
. . . .
En Dauphiné, qui bien mieux vault?

Dauphiné, que Je peux vous dire,
Ne préparer, pour vous, qu'à rire,
Qu'à fester, et passer le temps
En vizites, en promenades,
En bals, balets et mascarades,
Et faire d'Hyver un Printemps.

Dauphiné, dont vous estes l'ame,
Et qui jour et nuict vous réclame... etc...

2. *Histor.*, id.
3. P. 137. — Proximo anno, Boessatius a Pellissone impetravit ut, libro typis iterum mandato, instrumenta ea subtraherentur.

on y répond plus succinctement, parce que nos supérieurs ne prennent pas tant de part en cette affaire, et ainsi il ne nous en coûtera qu'une demi-page de galimatias en forme de compliment[1] ».

CAPUT VI

BOESSATIUS VIENNAE PER OTIUM DEGIT

Ea indigna passus, multam aulae salutem dixit; tantus injuriae acceptae dolor erat ut honores, quamvis et virtute et ingenio dignissimus haberetur, se non jam assequi posse putaret. Viennam igitur ipse ad suos se relegavit (1638); unde, anno 1643, litteras mittebat, ac semet ipsum fingebat « un misérable rebut de la fortune qui ne s'est exercé dans la triste solitude où il est réduit depuis cinq ans qu'à se chercher et à s'estudier soy mesme[2] ».

Magistratum tamen petere placuit: nam Revellio mortuo, qui Gratianopolitanum ad senatum advocatus erat, ad eam dignitatem se promovere in mentem Boessatio venit; cui favebat Saltius comes, Lesdigueraeus dux modo factus; Chorerio autem mandatum fuit ut Lutetiam Parisiorum proficisceretur, Seguerium cancellarium, quem Boessatius propinquitate contingebat, ut adjutor esset, rogaturus: qui libentius pro eo se nisurum esse promisit; at repente, « cum nullum superesse, quod facile superari non posset, impedimentum videretur, moras nectere, ambages fingere sibi, quae ab incepto deterrerent. Consilium id omne abjecit[3] ». Jam tum totus, a negotiis remotus, ad otium perfugit.

Quo animo, omni deposita spe, oblivionem et exsilium tulerit, haud satis exploratum habemus. Id tamen conjectura assequi licet ex ea elegia, quam, cum maxime floreret, ad amicum Antonium Brunnum, in Dolano senatu regium procuratorem, misit, atque in ea sic aulicorum infortunia exprimebat:

1. Quod rescripsit Conrartus, Academicorum nomine: *cf. Hist. de l'Acad.*, p. 144. In libro eo, qui inscribitur, auctore sublato, *Dialogue de la mode et de la nature* (1662), p. 40, irridetur Boessatius quod dedecus ipse suum in vulgus extulit.
2. Cod. H. 51, folio 120.
3. *Vita.* — p. 69.

Nos animae sontes, nos turba ingloria curis
Carpimur; atque ultro regum marcescimus aula.
Et nunc saevit amor, juvenum certissima pestis;
Nunc famae augendae medias coquit alta medullas,
Et sedanda furit per fasque nefasque libido.
Quid referam foeda obsequia, indignosque labores? [1].

Haud dubie Boessatius, si quidem est verus aulae contemptor, eo aulicorum ministerio, in quod, quanquam praeclarum esse plerisque videtur, vehementissime invectus erat, aequo animo caruit.

Ceterum amici in rebus adversis non ei defuerunt, quibus ipse aut Lutetiae aut in castris familiariter uti solebat, eorum haud immemor erat, rarissimis tamen, ut Chorerii verbis utar, litteris interpellabat [2]. Sed nonnulli visendi ejus causa Viennam venerunt; quos in Chorerii libro commemoratos invenies, scilicet Simonem Ducrossum, Barralium, Faretum, multosque alios; atque etiam Mollerius paulisper Viennae apud Boessatium commoratus est: de quibus infra mihi est copiosius dicendum.

Anno 1641, Chorerium rogavit ut Nancejum proficisceretur ac Boessatii nomine virginem Chataeam, quam cum militaret invisam efflictim adamaverat, in matrimonium peteret: qui Viennam, re infecta, rediit, ac nuntiavit eam fortasse invitam cum nobili viro jam nuptias pepigisse. Tanta spe lapsus, a matrimonio diu abhorruit. Attamen anno 1649, Clementem Chastaeam Jessaniam [3], praeclaro apud Allobroges Claromontanorum comitum sanguine natam, uxorem duxit, quam, Clemmiae nomine indito, in elegia magnifice laudibus ornavit:

Quas vobis, superi, grates, quae dona rependam?
Clemmia, mollito pectore, dixit, amo.
Clemmia nunc prona clementior excipit aure,
Excipit et prono vota pudica sinu [4].

Nunquam, post injuriam acceptam, Boessatius aulam revisere voluit, Vienna tamen, in quam se contulerat, saepenumero egressus est. Cui rei indicio est haec litterarum particula, quas Sangenesio poetae

1. *Sylv. lib.* I, p. 259.
2. Nonnullae ejus litterae exstant, nondum typis mandatae.
3. Cf. in Vienn. Arch. G. G. 30.
4. *Eleg. lib. III*, p. 353.

Avenionensi scripsit, ut ei, cum nullas jamdiu misisset, se excusaret : « Ubi me rei domesticae non distinebat occupatio, deerant ut plurimum qui ad te meas deferrent epistolas. Ubi vero scribendi suberant occasiones, suberant alia ex parte non levis momenti negotia, nec raro et Lugdunum et Cularonem proficiscendum fuit [1] ».

Omne igitur otiosum tempus Boessatius, cum itenere ac negotiis vacaret, in litteris consumebat : inde multos libros, spatio viginti quinque annorum, confecit, de quibus infra dicam.

Interea quo longins aetate provehebatur, eo arctiori pietatis vinculo Religionis cultui se obstringebat : tum et sanctorum laudes carminibus, quae typis mandari sivit, saepius ac libentius prosequi ; et Aurelium Augustinum Episcopum Hipponensem nimia admiratione celebrare ; nunc de Anastasiae, Margaritae Martyrio, et Magdalenae fuga ac secessu ad montanam Eremum elegias excudit ; nunc Hebraearum Heroïdum Epistolas fingit. Eo pietatis sensim progressus est, ut perinde ac si munere sacro affectus esset, omnibus locis se gereret : quippe monacho cuidam daemonas expellere molienti adfuit [2] ; ac paucis post annis, libro scripto curavit ut miracula quae Viniaci in sacris divae Virgini dicatis aedibus et aris modo exstitissent, in vulgus emanarent ; praeterea, anno 1656, regina Christina, cum Viennam transiret ac se olim a Boessatio amplissime laudatam esse memoria teneret [3], et videre eum et audire voluit. Postquam igitur magistratus subsidiorum curiae ac Viennensium conciliorum nomine contionati sunt [4], Boessatius noster, omni corporis neglecto cultu, ut solebat, adiit, ac « de summo aeterni numinis amore, de diligenti Religionis studïo et observantia, de rerum

1. Cod. 61-62.

2. Cf. *Relation véritable contenant ce qui s'est passé aux exorcismes d'une fille appelée Elisabeth Allier*, 1649, — cf. P. Etienne Meney : *Calendrier des Saints du Dauphiné* : « Monsieur de Boissac l'Esprit, Monsieur de Boissieu premier président de la Chambre des Comptes, et une infinité d'autres sçavants et beaux esprits furent témoins de tout ce qui se passa dans les exorcismes, et furent convaincus de la vérité de la possession » : p. 81.

3. Cf. *Chritinae Suecorum, Gothorum et Vandalorum regïnae encomiastichon*. (Bibl. Nat.). — E. Boessatii libris, qui nondum in lucem venerunt, nonnulli ad Christinam spectant (Cod. H. 66) :

Christina abdicans.

Musae profugae Christina Hospita,

De variis Musarum itionibus et profugiis autequam ad Christinam concesserint.

4. Uno libro colligatae orationes eae exstant : *Recueil des harangues faites en France à la reine de Suède*, 1659.

humanarum contemptione et despicientia [1] » praedicationem, ut ita dicam, non orationem habuit. Denique omni ope atque opera enitebatur ut cives, in compita accitos, erudiret, institueret, ad Dei cultum converteret.

Tam ardente pietatis affectu sacris ac divinis rebus inserviebat ut Gaspari Lascari Avenionensi Legato dignus videretur qui eques et Palatinus comes crearetur (1661); eodem suadente, Academici Avenionenses qui æmultatos sibi nomen induerant, suum esse Boessatium voluerunt [2].

Cum autem annum quinquagesimum octavum ageret, ad diem quartum Kalendarum Aprilium anno 1662, de vita decessit [3].

Ab eo geniti erant duo liberi, scilicet filius, Andreas Franciscus Josephus, in lucem editus anno 1653, qui militiam capessivit, atque anno 1675, cum in Alisacia pugnaret, periit; ac filia, Maria Francisca Gertrudis, quae anno 1680 Carolo Chabovio, Sanmauricio comiti, nupsit. Mater autem Petro *de Verdonnay* secundo viro nupserat; die quinto decimo Junii mensis anno 1691 decessit.

1. *Vita..*, p. 90.
2. Vide *appendicem I*.
3. In regestis parochiae a Sancto Andrea dictae, cum multa desint, nihil de Boessatii morte comperi ; haud tamen incertum est, quo anno decesserit ; testantur et Chorerius, et vir quidam alius his verbis : « Du mardi 25 apr[l] 1662, Madame de Boissat envoye à l'Hôtel-Dieu la somme de douze livres pour l'adsistance des pauvres et fonrniture du drap à l'enterrement de M. de Boissat » : cf. *Journal dé recette et de dépense journalière de Claude Glasson, maire de l'Hôtel-Dieu*.

PARS II

De condicione litteratorum virorum in Delphinatu circa medium saeculum XVII

CAPUT I

QUAE FUERINT EO TEMPORE ALLOBROGUM MENTES

Ineunte saeculo XVII°, D'Avity, cubicularius regis comes, nec in litteris nullius nominis poeta [1], a Delphinatu oriundus, haec de civibus suis scripsit : « Les Dauphinois sont courtois, affables, de bon et gentil esprit, libres en parole et sociables, mais un peu dissimulez, et hauts à la main, ayant bonne opinion d'eux-mêmes, et se vantant volontiers... La noblesse est aussi toute vaillante et courageuse... Je dirai ce mot à la louange des Damoiselles du Dauphiné, que l'on en voit fort peu en France qui les égalent en esprit et gentillesse [2] ». Qui cum imaginem optimam illam exprimeret, nonne in melius aberraverit, inquirendum est; hic nunc paucis exponam quomodo res publicae ac religio in Delphinatu essent, plura dicam de studiis ac litteris Delphinaticarum coronarum, quae, nescio quo casu iniquissimo, in oblivione jacent.

I

Lesdiguerius, rebus tandem compositis, non pro rege provinciam eam obtinere, sed rex esse videbatur : quem aulici, non sine ludibrio et invidia, « le petit-roi

1. Cujus sunt les *Travaux sans travail* (1599), le *Bannissement des Folles amours* (1618), les *Etats et Empires du monde* (1625), *Stances sur la Marguerite*, quas subjunxerat libello a N. Coeffeteau scripto, la *Marguerite chrétienne* (1627).

2. Quod jam attulerat H. de Terrebasse, *op. cit.*, p, IV.

Dauphin » appellare solebant. Quo mortuo, anno 1626, Ludovicus rex in Allobroges haud magna mole dominium exercuit, nec postea unquam a fide discesserunt. Nam ex Allobrogibus nobiles, ut supra dixi, si quod Richelius bellum moliebatur, animo libenti concurrebant et nomina dabant, nedum militiam detractarent; ipsi cum Viennae, tum Gratianopoli, hugonotis victis, aperte gaudium tulerunt [1].

In illa autem turbulentissima reipublicae tempestate, cum rex pupillus esset, seditionibus undique coortis, non caruit Delphinatus malis, quibus Francia tum fere tota laborabat; ac Viennam miseriis perditam esse testantur regesta consularia: « 15 avril 1651 : la ville doit au roy plus de 40.000 livres de taille, et faute de payer l'on menace la ville de l'accabler de logement de gens de guerre. — 1er mai: M. l'Intendant déclare aux consuls que si l'on ne paye pas les compagnies logées dans Vienne, tout le régiment doit séjourner aux frais de la ville jusqu'au payement; ce qui met tout en désolation et l'on cherche de l'argent de toute part. — 3 septembre: l'on n'a pas d'argent pour rétablir le pont du Rhône qui menace ruine ».

Quae cum dolerent consules Viennenses, haud aperte quidem, sed in conciliis habendis, cives quieti sedebant nec ullo tempore, si quae deberent recusare possent, conati sunt. Vix quaedam inciderunt, quae cum tantum ad civitates singulas pertinerent, non totam provinciam fecerunt turbulentam. At Ludovico XIV regnante, haud ambigua fide fuerunt Allobroges, adeo rebellandi studio ex eorum animis jamdiu penitus sublato, eo ipso quod avido Sabaudiae duci obsistere coacti erant, firmior factus erat patriae amor. Tum vero in artes pacis, non belli, summo studio incumbere licebat.

II

Simultates quoque et irae e religionibus ortae consederant, ac cives, sive a Calvino profecti erant, sive catholicam fidem servaverant, si non amicitia, at certe concordia inter se utebantur; res ita se habuit, dum viguit Namneticum edictum [2].

1. Cf. *Epinicia Lodoico justo, ob expugnatos fortiter feliciterque perduelles Rupellanos Scipio Guillietus epodico et amoebaeo carmine concinebat*, Gratian, 1628.

2. Vide E. Arnaud: *Hist. des protestants du Dauphiné aux XVIe, XVIIe et XVIIIe siècles, 3 vol.*, 1875.

Non deerant tamen in Delphinatu, qui, ut antea, de religionibus ac rebus divinis disputarent. Sed omissis istis libellis, quos viri utriusque partis composuerunt, quae e religione mota in litteras emanaverint, tantum inquiram.

Primum exploratum habemus praedicatores quosdam, qui dicendi arte valerent, cum Gratianopoli, tum Viennae, sermones habuisse. Qui libentissime audiebantur, quod, cum praecepta praeclara darent, una aurium voluptati morigerabantur. Mediocris quidem in dicendo fuit rector Jesuitarum Collegii Viennensis, Petrus Arnulphus, qui anno 1658, auctore Chorerio, « sacros sermones ad subsidiorum curiam per sacram quadragesimam habebat; inepte dicere judicabant; omnia desiderabant in eo, quae si in oratore non abundent, frigidus sit, insulsus, et ineptus [1]. » At certe multos alios atque eos disertos Viennensibus contigit audire: scilicet Nicolaum Gualterium, qui inter sollemnia beati Augustini laudationem exprompsit (1642); et a Soc. Jesu Menestrerium, qui dum Viennae apud suos commoratur, « dans le but de s'accoutumer à parler devant un auditoire nombreux et de s'exercer aux mouvements oratoires, choisissait, pour sujet de ses harangues d'ouverture de l'année scolaire, des évènements contemporains qui lui permettaient de donner un libre cours à son éloquence et à sa brillante imagination [1], » et Viallerium, qui, magno principio orsus, mortuo Carolo Neovillae, qui Lugduno praefuerat, laudationem dixit, postea Andreae Boessatio.

Alii quoque, e Delphinatu orti, ut carmina funderent, e religione quasi e fonte hauserunt. Paucorum hic nomina afferam: Guillotum Garennam, ejus libelli scriptorem, qui inscribitur *Paraphrase en vers françois de l'Office de la Vierge* [2]; Laurentium Bressacum, qni in suo libro, les *Caractères chrétiens*, de rebus

1. *N. Chorerii adversariorum de vita et rebus suis libri III* (*Bulletin de la Société de Statistique de l'Isère*, t. IV, 1846), I, 15

1. Allut, *Recherches sur la vie du P. Menestrier* (1856), p. 12. — De quo Chorerius, postquam eum Parisiis in ecclesia a Sancto Andrea dicta per quadragesimam sermones habentem audivit, haec scripsit: « Undequaque ad Menestrerium, gravi, eloquenti et docta pascentem aures animosque oratione, confluebant », *V. B.*, p. 236.

2. Ille quasi amplus homo fuisse videtur, quem in fidem suam acceperat summus Galliarum quaestor, *Sublet des Noyers*; eodem Ludovicus XIII familiariter utebatur; at anno 1645, « vacuus, ut ait Chorerius, Anjovium ad paternos Lares revertit » et omnibus rebus egens mortuus est. Praeterea scripsit: les *Bacchanales, ouvrage lirosophique, dans lequel on voit les divers et merveilleux effets du vin* (1650), ac multa carmina sermone rustico.

piis erudite et ingeniose canebat; denique Boessatium, longe ceteris praestantissimum, qui Deum, virginem, beatos, viros, Christianorum Moralia, ut non summo ingenio insignis,ita certe fide verissima atque ubertate celebravit.

III

Id temporis Viennae ac Gratianopoli, multi erant, qui, cum Boessatio amicitia juncti, eodem studio atque ipse litteras amplecterentur. Chorerius autem contendere ausus est neglectas tum Viennae jacuisse litteras : « Artem sibi, inquit, plerique omnes in fraude et dolo potius quam in liberali industria, putant esse repositam..., alii, popinis et compotationibus, ganeisque ; alii, ludicris et jocis, ludi ipsi deridiculi, et inepti joci ; alii rei familiaris, atque domesticae insano involuti studio, ingenii sui aciem obtundunt, et ignes retundunt. Ad majora, et excelsiora nati humillima fere prosequuntur, caducas scilicet, et fluxas voluptates, et purulentas avaritiae libidines... Id tempestatis, si tres quatuorve praetermittas, quem bonis litteris amicum misero hoc in oppido reperias [1] »? Quod profecto mihi incertum ac rhetorice dictum videtur : idem enim, in eodem libro, dum imprudens ipse secum pugnat, quam multi tum in Viennensi foro florerent, nominibus expositis, tradidit.

Magna Viennae erat magistratuum copia ; nam anno 1638 rex edicto sanxerat « une cour des aydes et finances », atque inde munera nova ac multa erant constituta [2]. Inter magistratus eos, qui cum nostro familiariter vivebant, hos proferre satis habeo, Laurencium Lucium, Ludovicum Quinsonum, Jacobum Marcherium, de quo postea dicam, Claudium Trivium, virum singulari litterarum ac juris scientia insignem, Georgium Musium, qui, ut dixit Chorerius, « postquam defecit, in illa tanti luminis defectione, pertubatio fuit animorum Viennae, quae solet esse cum sol obscuratur [3] ».

Neque in Jesuitarum collegio viri deerant ingenio

1. *Magistratus... icon... proloquium*, 1646.
2, Cf. *Edict du Roy portant création d'une cour des aydes et Finances en la ville de Vienne en Dauphiné* (mars 1638) ; Bibl. Gratian.
3. *V. B.*, p. 202. — Vide Musii laudationem, a Laurentio Crosato dictam, qui Valentiae juris scientiam profitebatur ; exstat in Bibl. Gratian.

praestantissimi; quos si non omnes, at certe referre par est. J. Busserium, de quo supra dictum est, et Claudium Trilliardum, virum ingenio vere magno, qui percallebat versus scribendos [1], et Menestrerium, qui de theologia, de philosophia, de historiis, de omni re ac scientia scripsit [2].

Cum Chorerio summa Boessatio erat familiaritas; qui, anno 1612 natus, cum juris jam peritissimus esset, ut ad universitatis gradus accederet, Valentiam venit; Viennam deinde redux inter causarum patronos inscriptus est: tum nullum fere diem fuisse quin Boessatium inviseret, ipse asseverat: « Studioso, in salebris et difficultatibus litterarum, ac maxime latinae poeseos, opi erat. Dum soli extra urbis pomoerium, in laetis circum campis ambulatione recreabamus corpora, latinis collocutionem versibus instituebat; alternis respondebam... Hoc fiebat usu, ut, quacumque de re sermo esset, in ore carmina enascerentur, nulla fere opera [3] ». Advocatos Viennenses Chorerius si posset ad litterarum studia ducere conatus est: « Me suasore, inquit, egregii, ex advocatorum numero, adolescentes, statutis diebus, in hortum a se conductum conveniebant; de rebus ad doctrinam pertinentibus sermonem habebamus. Academiae nomen placuerat, sed cum sint hominum ingenia varia et mutabilia, quanto omnium ardore tam honestum comprobatum erat institutum, tanta quorumdam ignavia inhoneste derelictum est [4] ». At saltem fuit ipse documento jus simul ac litteras coli posse, ac dicendo diserte eruditeque fere omnes ad disciplinas amandas se convertere coegit.

Haud minu Gratianopoli quam Viennae vigebant artium studia; ibi quoque provenere viri eruditi: de quibus singulis sermonem habere si vellem, longius ab incepto traherer; tantummodo nonnullos, ne longum sit, laudare liceat: Ludovicum Videllum, qui, cum de Lesdiguerii vita aliquid scribere animum induxisset, Boessatii opera ad opus perpoliendum usus esse dicitur; et Franciscum Ponnatum, locuplete instructum eruditione, quo nemo melius, quae ad

1. Cujus rei testis est non Chorerius tantum, sed Capellanus etiam, valde laudator ac probator Trilliardi carminum; sed pauca a Trilliardo typis mandata sunt, pauciora supersunt.

2. Ne carminibus quidem in condendis, Boessatius ipse, quanquam aetate major erat, se cum eo aemulari posse confessus est: cf. *in procinctu deditio ad Claudium Menestrerium* (cod. H. 63).

3. *Adv*. I, 2.

4. *Adv*. I, 11.

Delphinatus statum pertinerent, calluit; et Lauberiverium, qui, virorum illustrium provinciae laudes et res gestas conscribere aggressus, opus magnum instituit nec absolvit; et Philippum Lagnaeum, qui, cum libros permultos impensa tot annorum cura collectos, publice vendere coactus esset, animi aegritudine tam male affectus est, ut paulo post decederet; et Dionysium Salvagnium Boessium, regi ab intimis consiliis ac Delphinatus rationalium curiae primarium praesidem, qui, in Viennensi collegio olim Boessatii condiscipulus, inter Allobroges qui temporibus illis Musas carminibus latinis coluere, Boessatio principe, secundum locum obtinuit [1].

Praeter eos viros, qui honore publico utebantur, privati quoque nonnulli aut ipsi in arte ac litteris versabantur aut iisdem delectabantur. E quibus eminebat Pollodus Foessius, quem incredibilis amor et cupiditas tenebat omnium rerum, quae ob antiquitatem pretium habent; et Gualterius, musicae peritissimus, qui, Maria regina jubente, Europae principes adiit, atque eos, lyrae mirabilli dulcedine captos, quanta voluptate tanta admiratione implevit; sed, extremo vitae tempore, Nevii, qui proxime a Vienna vicus distat, consedit; denique Stephanus Chaumeus, qui multa cum amicis Viennae jocose de fratribus illuminatissimis Roseae Crucis narrare solebat: quibus modis fratres Parisiensium animos confudissent, commemorare eum juvabat; ii enim se posse jactabant « cum vellent, videre nec videri; quorum, si e re sua esset, ingressi essent domos, omnes pervagari libere per angulos; coenantibus, colloquentibus cum domesticis, cubantibus adesse nec videri... Admiratio primum ac dein ingens perturbatio Parisienses cepit. Metus, luctus, indignatio omnes plerasque domos invasit. Suis se in tectis securos non putabant [2] ».

Mulieres illas electissimas, quarum domus docti ventitare solebant, non silentio praetermittere debemus: Viennae Magdalenam Lorasiam, de nobilissima Caponiacorum Lugdunensium gente, tam ingenio quam forma principem, Boessatius et Chorerius frequentabant; Gratianopoli erat Joanna Crucia Revellia, quae magno adjumento fuit, ut

1. Vide carmina Christinae reginae dicata, *de Septem Delphinatus miraculis*, ac praesertim *Melusinam, sive Tinas Sassenagias.*
2. *V. B.*, p. 249.

Boessatii aegritudinem levaret et consolatione permulceret. Omnibus autem praestabat Saltia Comitissa, de qua supra dictum est: quae cum aberat, aberant et ipsi lepores et voluptates, jacebant ludicra.

Costae, quamvis parvus is esset vicus, multi erant non tantum litterati viri, sed mulieres etiam, quae aut poetarum laudi favebant aut ipsae Musas ex tempore colebant; ita Blanvillam, cujus carmina nonnulla, quae non absurda judicares, modo typis mandata sunt [1], Thomas Ulmeus laudibus his ornavit :

Le zèle sans égal que vous montrez, Madame,
A détruire l'injuste blâme
Que l'on attribue aux rimeurs,
Est si glorieux au Parnasse,
Que tous les amis des neuf sœurs
Vous doivent venir rendre grâce [2].

IV

Non inter ludos quidem ac saeculi delicias nasci solent seria aut valida ; attamen, si forte mulieres ipsae, ut Viennae et Gratianopoli et Costae factum est, litteras adamare coeperunt, ingenia certe minus alte assurgunt, plus vero urbanitatis subtilitatisque in opera eorum emanare videtur. Infra mihi dicendum est de Boessatio, et Salvagnio Boessio, et Chorerio ; hic autem est locus, ut pauca de operibus iis inferioribus dicam, quibus docti otiosique viri tum in circulis delectabantur.

Blandissimum erat genus illud carminis, quo poeta cuivis amicae verbis quidem pervulgatis, non tamen invenustis amorem fatetur :

1. H. de Terrebasse, *Poés. dauph.*, passim.

2. *La Muse nouvelle*, p. 48. — Thomae Ulmeo Boessatius quasi magister de arte poetica praecepta tradidit : qui anno 1657, cum in collegio Viennensi a Menestrerio litteris erudiretur, annum vix quintum decimum agens, in versibus faciendis jam elaborare solebat, atque eos Boessatii judicio, ut perpoliret, permittebat ; anno 1665, Ulmeus, causarum patronus Gratianopoli factus, quidquid vel admodum adulescens composuerat, typis mandari jussit, hac inscriptione libello imposita : *la Muse nouvelle ou les agréables divertissements du Parnasse*. De illo, Richeletus, ab Allobrogibus omnibus, ac maxime ab Ulmeo alienus, dixit : « Le seigneur Thomas de Lorme est celui de tout Grenoble qui fait le mieux de méchants vers et de méchante prose », *Connaissance des genres françois, XVIII* — Cf. d'Artigny, *Nouv. mém.*; VI, p. 101.

Si mon respect, mes soupirs et mes vœux
Pouvaient déclarer mon martyre,
Philis saurait mes tourments et mes feux,
Sans qu'il fut besoin de lui dire.
Je suis soumis à ses jeunes attraits,
Depuis le temps de leur naissance,
Et j'ai senti la force de ses traits
Avant qu'elle en sut la puissance [1].

Ea quoque poeseos genera coluerunt Delphinatici poetae, quae *épigrammes* et *rondeaux* gallice dicuntur, ac multa alia, quae artem flexibiliorem, inveniendi copiam prope nullam requirunt; nec illiberalibus quidem jocis, quae, quamvis salsa essent, repudiare oportebat, abstinuerunt; quid enim Ulmeus scriberet « une épigramme à une demoiselle à qui un carosse, en versant, tomba sur le derrière [2] »?

Interdum tamen nostri excelsius sentiunt dicuntque; vel nugae eae, quas Ulmaeus consectatur, sermonis suavitate et urbanitate non ipsius Vetturii versiculis cedunt; cujus hoc unum carmen, exempli gratia, afferre mihi liceat :

Sur un commandement de n'avoir que de l'amitié :

Mon cœur enfin, Calliste, à vos lois est soumis,
Et j'en fais l'amitié douce et paisible reine;
Mais, hélas! qu'on a de la peine
A n'être que de vos amis.

De quelque rude trait dont l'amour perce une âme,
Alors, qu'à force ouverte, il en veut triompher,
Je souffrirais moins de sa flamme,
Que je ne souffre à l'étouffer.

Vous voulez cependant qu'on s'en puisse défendre,
Et que, pour vous, mon cœur s'en tienne à l'amitié.
Peut-on vous voir et vous entendre.
Et ne vous aimer qu'à moitié?

A quel secret tourment faut-il que l'on s'apprête,
Pour n'être pas touché d'un objet si touchant?
Comment voulez-vous qu'on s'arrête,
Au milieu d'un si doux penchant?

En me laissant mes maux, vous serez plus humaine,
Celui que vous m'ôtez m'est plus cher que le jour.
Dieux! Il faut avoir votre haine
Ou bien n'avoir plus mon amour.

1. *Poésies dauph.*; p. 22.
2. *La Muse nouvelle*, p. 175.

D'abord j'ai cru pouvoir n'être que votre frère;
Mais après tant d'efforts et de soins superflus,
Malgré toute votre colère,
Je suis quelque chose de plus.

Calliste, comme vous je veux être inflexible,
Je veux toujours aimer, dussé-je être haï.
Quand on exige l'impossible,
On ne veut pas être obéi [1].

Ut Parisienses circuli, iis commenticiis fabulis quae *romans* aut *nouvelles* sermone patrio vocantur, ita nostri delectabantur: anno 1669, Jacobus Alluisius, in senatu gratianopolitano causidicus, *Le Chat d'Espagne* typis mandavit; at imprimis vigebat hic liber: *Zizim, prince ottoman, amoureux de Philippine Hélène de Sassenage* (1673); de quo auctor ipse Guido Allardus scripsit: « Zizim n'est pas mal receu en cette province, mais je suis bien plus glorieux de ce qu'il n'a pas desplu à Paris, et qu'il a eu le bonheur de divertir Madame la duchesse de Sully et Madame la comtesse de Guiche, que de tout l'encens de notre province [2] ».

Denique Gratianopoli librum illum *Amitiez, Amours et Amourettes* (1664), quem in nugis ineptissimis ponendum esse putavit Boeslaeus [3], in vulgus emisit Renatus Paisius, a Namnetibus ortus, vectigalibus e salaria annona cogendis praefectus in Delphinatu ac Provincia. Is, qui tantum commendationis habuit, ut duobus annis plus quindecies ederetur, quam blandus esset Allobrogum auribus, Chorerius testatus est: « In eo venustates gallicae linguae omnes, et lepores atticoque conditae sale urbanitates suo velut e fonte scatebant [4] ».

Inde satis apparet in iis provincialibus circulis modum, habitum, sermonem, qui nonnullis ante annis Parisiis vigebant, servatos esse, atque ineptias istas, quibus circiter anno 1630 ii, qui in domo Rambullietani versabantur, delectari solebant, anno 1670 hic etiam fuisse in honore. Tum maxime quoque in scriptoribus quaerebatur ingenium acutum, in dicendo urbanitas, elaborata concinnitas, quibus cum valeret Vetturius, omnibus probatus erat: « Quoy qu'on soit

1. *Poés. dauph.*, p. 73.
2. Quod attulit Maignien, *l'Imprimerie, les Imprimeurs et les Libraires à Grenoble* (1884), p. 265.
3. *Epitre IX.*
4. *Adv.* II, 5.

icy loin de Paris, l'humeur de Paris ne laisse pas d'y régner... La galanterie et l'esprit y paraissent plus qu'en lieu du monde. On dit mesme que, parmy les hommes, il s'en trouve beaucoup qui escrivent admirablement bien en prose et en vers, et, parmy les dames, quelques unes qui s'en meslent, et plusieurs qui en connoissent la beauté et la délicatesse. On dit, de plus, qu'en l'un et l'autre sexe, il se fait grand commerce de fleurettes et de soupirs, et qu'on y a une si grande connaissance de ces deux sortes de marchandises, qu'on y juge si les fleurettes sont de bale, ou façon de maistre de la Cour ou de la Province. Pour les soupirs, on y connoist les degrés de leur ardeur, mieux que chez les Chimistes ceux de la chaleur du feu [1] ». Quae cum ingenuus landator loquitur, declarat ipse quae laudi, quae vitio iis circulis, quorum speciem veram effingere volui, vertenda sint.

CAPUT II

QUI QUALESQUE FUERINT LITTERATI VIRI, QUIDQUE COMMERCII CUM EXTERNIS AUT GALLICIS HABUERINT

I

Per septimum decimum saeculum in provinciis litterarum antiquarum illa renovatio, quae priore aetate a motu praeclarissimo in Gallia orta erat, continuata esse videtur. Tum enim in Delphinatu doctus eruditusque vir fere nullus erat quin in litteris cum latinis tum graecis versaretur, ac multos undique discipulos, Viennae autem quingentos anno 1625, in utroque sermone Jesuitae magistri erudiebant.

Tantum aberat ut neglectae graecae litterae jacerent, ut Salvagnius Boessius ac Boessatius ipse earum studiosissimos se ostenderent : quorum alter, Romam missus, incidit in Philonis Byzantii libellum, qui nondum editus in Vaticana Bibliotheca latebat; eum in linguam latinam vertit, sed tantum anno 1661 in

1. Le Pays, *op. cit.*, *lettre XL, livre II*, p. 245.

manus hominum dedit [1]. Boessatius vero, commentariis in Synesium compositis, quam litteris graecis doctus esset, documenta dedit [2].

Latinam linguam iisdem magis notam fatendum est. Pauca enim Boessatius gallice, multa latine scripsit; Chorerius vero ac Boessius et latina et gallica lingua aequo studio ac facilitate usi sunt. Ut multi tum alii, vix cum e scholis exierant, latini alicujus scriptoris opera annotare et explanare ausi sunt, qui quam rerum copiam attulerint quamque diligentiam ac subtilitatem ostenderint, etiam nunc miramur; sic Salvagnius, dum aetatis annum vicesimum agit, commentarios in Ibin P. Ovidii Nasonis scripsit [3].

II

Quamvis mirifice studio priscorum scriptorum flagrarent Allobroges, libentius tamen provinciae sue vacabant. Jam antea dictum est quam multi Gratianopoli et Viennae essent et jùris peritissimi et omnium rerum quae ad Delphinatus cum vetustum tum hodiernum statum pertinerent; at nulli in eo genere secundus fuit Nicolaus Chorerius.

Ille enim non satis habuit, Hozerio aemulus, Delphinaticarum gentium stemmata, quibusdam petentibus, describere; sed etiam omni mente et cogitatione curaque versatus est ut Delphinatus historiam componeret, et opus aggressus perfecit. Quam in eo rationem secutus sit ipse docuit: « Delphinatus situm, et quaecumque a natura admiratione digna accepit, primum exposui diligenti, brevi tamen narratione; dein religionem, sacra, leges, mores, artesque a populis invectas, quorum sub ditione fuit, quo tempore imperio potiti sunt: statum politicum vulgo appellant. Ac demum res gestas cujusque populi, quae ad eam unice spectarent provinciam,

1. Anno 1640 praeverterat Leo Allatius.

2. Si quis scriptorum inferioris aetatis Synesium imitatus sit, aut significaverit, vel transtulerit, legentes docet; inter plura, haec nomina de primo carmine proferuntur; *Juvenci prol.*, *Claudii Marii Victoris praef*, *Aratus in act. Apost.*, *Alcinus Avitus in origine mundi*, *Hieronimus Vidas*, *Urbain VIII. Torquato Tasso*, *Ronsard (abrégé de l'art poétique, la Franciade) F.-C. Scaliger*, *Pline*, *Lucien*, *Plutarque*, etc. etc.

3. « A versu 255 unde Naso fabulas et historias auspicatur, ad versum 645 qui libelli postremus est, triginta supra ducentas memorantur. Interdum uno disticho tres continentur, interdum quatuor.... ita ut Ovidianum hoc Poematium fabularum officina vere dici possit », p. 8.

bella, mutationes, rerumque vicissitudines candide et vere deduxi [1] ».

Non quod saepe reprehensionem non capiat: quippe quo nullus rerum scriptor in exquirendis temporibus minus diligens fuerit [2]. Itaque minime mirum est quod, hoc sibi sumpto, ut Delphinatus res permixtas et confusas explicaret, magnis erroribus implicatus est. Hoc tamen, ne inique ac falso de eo judicemus, animadvertendum est, quod, ut ipse dixit, « antiquorum codicum mss., et vetustissimarum tabularum copiam et numerum, unde hausta illi rerum veterum cognitio fuit [3] », collegerat; cum praeterea Duguaeus de iis hominibus qui per fraudes nobilium privilegia aut titulum sibi asseruissent, quaestionem in Delphinatu habiturus esset, ei adjutor fuit, denique perlegendarum tabularum omnium, quae aut in urbium archio aut in gentium nobilium tablinis aut in eruditissimorum thesauris, infinito numero, abditae latebant, curam suscepit. Cui, vel nonnunquam erranti, meritam persolvere gratiam aequum est, utpote quo melior fuerit nemo in Delphinatus rebus scribendis.

III

Ne recentioribus quidem et externis in sermonibus nostri rudes erant. Quod enim Delphinatus et procul a Lutetia et opportuna regione situs erat, eo maxime favebat illi commercii generi, quod inter litteratos omnium gentium viros esse solet. Tum vero litterae non ad totam Europam jam pertinere, sed regionis quaeque suae finibus se continere videbantur; at contra, si quis aut philologus aut grammaticus eruditionis famam affectabat, non circa res patrias tantum versabatur neque cum alienigenis nihil rationis habebat. Ipsi potissimum in provinciis viri docti, vel modestissimi, adjuverunt ut inter omnes litteratos, qua quidem litterata longe lateque per orbem terrarum patet respublica, vetus usus intercederet.

Primum Italica lingua et Hispanica in Delphinatu erant in honore. Certo scimus Boessatium et Chorerium Hispanienses scriptores legisse; imo Boessatium

1. *Adv*, II, 2.
2. Cf. J. Ollivier, *Mélanges biogr. et bibl. relatifs à l'Hist. litt du Dauphiné (Hist. de la vie et des ouvr. de N. Chorier*, p. 10-50).
3. *Adv.*, II, 3.

versus quosdam hispanico sermone scripsisse, quos libro suo insereret *Relation des Miracles de N.-D. de l'Hozier*; tales quoque fecisse Franciscum Boniellum et Arnulphum.

At libentius cum Italia communicabant: praeterquam quod juvenes jam exeunte sueculo sexto decimo, ut viros juris peritissimos audirent, in scholas Taurinas Patavinasve undique concurrere consueverant, multi quoque alii seu bellandi seu negotiandi causa transibant Alpes.

Ubi Carolus Crequius, Lesdigueriarus dux, ut summo Pontifici Urbano VIII Regis nomine obedientiam praestaret, Romam venit, Boessius ei comes fuit et orator regius, de quo Chorerius ait: « Romae quatuor per menses commoratus, in eruditorum, qui in illa urbium orbis terrarum metropoli agebant, omnium intimam venerat familiaritatem [1] ». Hac re expedita, a Richelio jussus Venetiam proficisci, cum per Italiae urbes iter faceret, ubicumque erat commoratus, Anconae, Ferrariae, Ravennae, libentissimo animo, honore dico et humanitate, ab omnibus exceptus est [2].

Quod si quisliber novus ab Italis edebatur, erant qui Gratianopoli et legere et quanti aestimandum esset judicium facere possent; nec raro Italorum opera in sermonem gallicum transferebantur. L. Videllus, extremis vitae annis, Italicis se totum litteris addixerat; qui cum multa, tum ipsum Rinuccini librum transtulit, ea inscriptione: *Archange ou le Capucin écossois* (1650).

Denique Chorerius, ut antea Capellanus ac multi viri eruditissimi qui a Divione orti erant, inter Academicos Patavii, qui semet ipsos *Recuperatos* vocare solebant, adscitus est.

Cum Germanis Batavisque nonnihil rationis nostri habuerunt. Isaac Vossius, postquam Chorerii operis primum volumen, quod ad res Delphinatus pertinebat, evolverat, id antiqui esse saporis, teste Chorerio, dixit; hoc quoque accepimus quod Germani saepe in Delphinatum venerunt ac Videllus, cum in egestatem deductus esset, quibusdam fontes Gallicae linguae aperuit.

Batavia autem tum eruditionis quasi nutrix habe-

1. *D. Salvagnii Boessii vita*, p. 32.

2. Boniellus Catillio quoque, Crequium comitatus, absolutam italicae linguae scientiam comparavit. Cujus socer, Expillius, magnifice laudatus est in eo libro qui inscribitur *F.-Ph. Tomasini Patavini Episcopi Œmoniensis elogia :* cf. Boniel, *la vie de Cl. Expilly*, p, 110 et 147.

batur: in qua quidquid viri eruditissimi ediderant, protinus in Delphinatum inferebatur ac legebatur; e scriptoribus ipsis nonnullos viderant nostri noverantque. Initio libri, anno 1619 Lugduni typis mandati, qui inscribitur *le choix des Epistres de Lypse, traduites de latin en françois, par A. Brun*, carmina quaedam, quae Boessatius, quamvis adulescens esset, scripserat, legas. Ceterum ille ac pater ejus tanta fama florebant, ut Nicolaus Heinsius, cum Romam Christinae, Suecorum reginae, mandata deferret, Viennae commoraretur (1651); « in hac urbe, incredibili benignitate eum excepit Petrus Boissacus, ...virosque civitatis doctiores ad prandium ac caenam lautissimam una cum Heinsio Langermannoque invitavit [1]». De hac eruditorum congressione nonnulla exposuit Chorerius: « Elegias (Heinsius) scripserat, quas Boessatio lectitabat: nitor et candor inerat, spiritus ac poëtica vis deerat. Multa de eruditis Leidensis Academiae viris referebat, plura de patre praedicabat [2]. » Quin etiam Chorerius, ut ipse docet, in *Actis Sanctorum* scribendis, pro sua parte adjutor fuit; cum enim Godefridus Henschenius, ex Italia Belgium petens, Gratianopoli constitisset, « de instituto suo, totiusque operis ratione multis mecum Henschenius disseruit. Communicavi quae adjumento futura docebam, ex vetustissimis tabulariorum nomumentis, scitu digna [3]».

Tempore igitur illo per totam Europam omnes omnium gentium eruditi viri, quasi linguae latinae societate conjuncti, inter se nonnihil commercii habere solebant.

IV

Quod inter se docti, qui tum in Gallia doctrina et eruditione valebant, arctiores consuetudines fecerunt, minime mirum est. Qua de re testimoniorum documentorumque summa est facultas; multis tamen omissis, pauca tantum ea afferam, quae ad litteras pertinere videntur.

Ut Boessatium Avenionenses Æmulatores in collegium suum, sic Chorerium Academici Arelatenses

1. *N. Heinsii adv. libri IV*, Harlinguae; 1742, p. 21. — N. Heinsio comes fuit « Langermanus Hamburgensis, Gronovii consanguineus, juvenis egregius et litteris excultissimus », *id.*, p. 20.
2. *Vita B.*, p. 75.
3. *Adv.*, II, 4.

cooptaverunt anno 1678; qui primum viginti numero, deinde triginta erant atque eos delectos esse « parmi des personnes d'esprit, de mérite et de probité » litterae datae docent [1].

Salvagnius autem Nicolaum Fabricium Peireskium, quo nemo tum fuit doctior, Aquis Sextiis convenit; « parem alter ex altero animi voluptatem ceperunt [2] »; ac juncta amicitia, litteras deinde inter se dederunt et acceperunt [3].

Qualis inter illos viros usus intercesserit, si quaeras, primum animo praesumas nullos in hac republica litterata fuisse nisi urbanos, comes ac liberales, officiosos, ingenio humanitate et cultu perpolito ac mente a sensibus cupiditatibusque hominum revocata. Qua enim, cum epistolas dant, facilitate mutua ac benevolentia certare solent! quae Chorerii laudes ad Antonium *de Grossi* scribentis! « Monsieur, j'ose non seulement vous demander vòtre amitié, mais aussy espérer que vous ne me la refuserez pas. Les idées que M. Juvenis et M. de la Garde m'ont données de vostre vertu, comme elles sont le snppôt de la liberté que je prens, en seront encore la justification. Je say, Monsieur, que vous estes dans une élévation extraordinaire entre les gens de lettres, et par celle de vostre naissance, et par celle de vostre éminent savoir: de sorte que, si vous m'accordez la grâce que je vous demande, vous ne devez pas trouver mauvais qu'elle ne trouve dans moy tous les respects qui luy sont dûs et une parfaite reconnaissance [4] ». Ita magnifice laudanti amico, Grossiusne, quidquid ille petebat, non concessisset? immo ipse sine ulla dubitatione libros, titulos, testimonia, quotcumque de re comperta habebat, Chorerio prae manu dedit: « Je vous envoye une note bien ample (de 128 chartes) pour voir s'il y a quelque chose qui puisse vous servir, avec une table par laquelle je range ces chartes suivant l'ordre des temps, le mieux que je puis. S'il s'y peut trouver quelque chose qui fasse pour vous, faites moy la grâce

1. Quo anno haec Academia provincialis instituta sit, ex initio litterarum datarum apparet : « Ayant plu au roy d'establir nostre compagnie en cette ville d'Arles par lettres patentes du mois de septembre 1668, vérifiées et enregistrées au Parlement de Provence le 7 juin 1669, pour les mêmes causes et raisons, pour les mêmes fins et avec les mêmes privilèges que l'Académie Française fut establie dans Paris... » : cf. *Bull. de statist.*, t. IV, p. 245.

2. *Salvagnii vita*, p. 29.

3. Cf. *Correspondance de Peiresk*, quam edidit Tamizey de Larroque, t. IV et V.

4. Allut, *op. cit.*, p. 350.

de me le faire sçavoir, et je vous envoyerai les copies que vous en désirerez [1] ».

Ita res se non semper habuit, ac nostri saepius, fateor, efferuntur tanta verborum immoderatione, ut probra jactent ac ferociter in infensos invehantur. Erant qui codices sibi commodatos acciperent nec redderent; sua Chorerio liberalitas nocuit, qui cum Nublaeo, juris prudentissimo, rarissimos codices suos commodavisset, « ille sui juris usucapione fecit; utrumque abieus e provincia secum abstulit: ita me etiam inconsulto in lucem edidit. Alterum Fabroto, alterum Cangio tradidit [2] ».

Quidam alii vel cum amicis minus liberaliter agebant. Certo scimus Chorerium, postquam Delphinatus res perscribere aggressus est, virum quemque doctissimum de incepto admonuisse multis cum precibus ut si quid novi ignotique ad opus pertinens haberent cognoscerentve, sibi traderent; multi quidem ei gratulati sunt, pauci adjutores fuerunt.

Qui, cum epistolas inter se darent et acciperent, pleniore ore laudabant, iidem lentius nec benigne quidem alii de aliis judicabant. Constat enim a Chorerio nimia laude semel atque iterum Samuelem Guichenonem ornatum esse; quo tamen nemo de eodem severius ac durius judicium fecit; postquam enim Pianezza marchio a Chorerio petebat ut sibi in genealogica gentis Simianae historia scribenda auxilio esset, Guicheno, ut ait Chorerius, « homo, cui melioribus invidere quam meliorem fieri proclivius erat, abditis artibus obstabat. Sperabat se in eam rem deligi posse, quem tamen Pianezza, magni vir ingenii, tanti non faciebat [3] ».

Denique factum est ut ad jurgia et contumelias descenderetur [4]. Chorerii animus abhorrebat ab his contentionibus. Attamen ipse etiam atque etiam in jurgia ea prolapsus est nec se maledictis abstinuit in adversarios. Qui cum audivisset Allardum eadem persequi quae ipse in libro suo, l'*Estat politique du Dauphiné*, tractavisset, vehementer in eum invectus est: « Allardus nescio quae, suo more, scriptitare secum deliberabat. Quaestum ex eo se facturum

1. *Id*, p. 355.
2. *Ada.*, I, 7. — Nonnulla suspicio est Chorerium ipsum chartularia quaedam sibi fraude assumpsisse: cf. Rochas, *op. cit.*, t. I, p. 244.
3. *Adv.*, II, 3.
4. Praesertim cum Menestrerius et Claudius Laborerius de Insignium origine dissentirent, et controversia, animis accensis, prope rixam venisset, duobus annis cum Lugdunenses tum Allobroges turbati erant.

maximum putabat. Itaque praevertit, quae hominis invidi erat, et de nobilitate minimae utilitatis farraginem edidit [1]».

V

Haec tum erat in Delphinatu litteratorum virorum condicio. Hoc amplius addam, ne quid praeterire videar, quod Chorerius ex operibus suis ac laboribus fructum fere nullum consecutus est. At enim Boessatius ad pauperum utilitatem, quaecumque scripserat, retulit, ac Salvagnius, quod ei, cum lites interquiescebant, dabatur temporis, in litteris quam jucundissime consumere satis habebat; nec mirum, nempe divitiis uterque abundabat nec victum libris scribendis quaerere opus erat. Chorerio contra exiliores erant pes quam ut ex eis viveret. Primis tamen annis, cum Viennae et Gratianopoli causidicus eloquentiae laude floreret, ita causas egit ut a paupertate se defenderet, ac spes erat fore ut, aliquo fructu ex libris percepto, lacuna rei familiaris expleretur. Non ita se res habuit: quippe illustrissimi viri, quibus libros dicaverat, Lionna et Bullionius cardinalis, large promissa non solverunt nec fortunis eum auxerunt. Illud ei fuit pretium unicum vigiliarum operumque, paupertas. Itaque extremis vitae annis suorum civium ad opem necessario confugit, quem pecunia sublevarunt Salvagnius Boessius, Prunerius Santandraeanus, maxime Saltius comes.

Ita Chorerius, aetate ingravescente, in egestate versatus est, dignus tamen qui meliore condicione uteretur, ut qui, provinciae rerum peculiariter curiosus, libros si non perfectos expletosque, at saltem magni momenti ac pretii doctis reliquerit. Quod si plus otii nactus esset et, opera forensi omissa, se totum exquirendis rebus gestis temporibusque tradere potuisset, non dubium est quin magnam sibi gloriam in historiis scribendis comparavisset. Vixdum orto die lecto surgebat; horas tantum duas in studiis consumere licebat: toto deinceps die, si forte negotiis vacabat, in iisdem iterum elaborare solebat; quae cum tanta esset condicionis iniquitas, num plura, num meliora quam quae tradidit, condere poterat?

1. *Adv.*, II, 8.

Non ultra suae res scribendas provinciae processit nisi semel, fortuna tamen tam bona, ut nihil magis optandum videretur quam ut materia soepius proposita esset par ingenio. Ille enim anno 1662. de Lotharingis rebus libellum composuit, quo disputabat Carolo duci provinciae possessione Galliae cedere jus fuisse [1]. Hanc dissertationem edi Ludovico XIV non placuit, quam ut inclusam teneret ab auctore per Tellerium ac Lionnam petivit; nec tamen tantum praecaverunt ne, ea per totam Germaniam elata, Germani viri atque doctissimi, Ludovicus Mayus Salleta, Nicolaus Martinus, Joannes Henricus Boeclerus, Chorerii sententiam oppugnarent, quod dux gentis jura non sua deseruisset. At omnium judicio graviores Chorerius causas attulerat.

Ita Chorerius hoc libello, quem multis cum Boessatio sermonibus habitis composuerat, reipublicae ac regis consiliis eo tempore profuit, quo ille, cum modo sibi rempublicam tractandam sumpsisset, Galliae principatum victoriis ac prolato imperio firmare gestiebat.

CAPUT III

QUID DE PRAECLARISSIMIS ILLIUS AETATIS SCRIPTORIBUS SENSERINT LITTERATI ALLOBROGES

Cum opera ipsa Chorerii, Salvagnii, Boessatii ad communem litterarum causam parum pertineant, quid saltem de iis illustribus viris, quorum cura ac labore tum in Gallia artium studia vigebant, senserint Allobroges aperire refert. Hoc enim notatione dignum censeo quod plerique in Delphinatu erant noti, multi recte judicati ; nemini autem hoc laudi ducendum est nisi Boessatio, qui, postquam Lutetiam venit, cum scriptoribus fere omnibus, qui ab anno 1620 ad annum 1640 ingenio floruerunt, conversatus est, neque eumdem fugiebat quid de iis et aulici et urbani cives existimarent.

I

Santamantium primum Boessatius ducem secutus,

1. *Dissertation historique et politique sur le traité fait entre le roy et le duc Charles touchant la Lorraine* : quem libellum, auctoris nomine sublato, Auberius historiographus sibi vindicavit.

Chorerio adulescenti legendum dabat; atque ille testatur, cum multa juvenis rudimenta posuisset, se carmen, quo ejusdem *Andromedem* imitaretur, composuisse.

Nulla apud nostros, quantum scio, fit mentio Malherbae, nec tamen dubium est quin eum Boessatius adiisset in domo praeclarissimae illius matronae, nomine Logeae, quam summis laudibus multis in locis et Malherba et Balzacius ornavit.

Balzacio autem familiariter usus est, ac postea, Viennae et Gratianopoli, cum amicis de eo sermonem habere solebat; neque quisquam rectius de eo judicium fecit: « Dicere solitus erat gallicae tam feliciter linguae esse nascenti obstetricatum, ut non modo decus et nitorem, sed ipsam etiam vitam Balzacio debere videretur. Balbutire desiisse, inter gallicos scriptores; apte et generose loqui coepisse aiebat [1] ». Nimius quidem ingenii et eloquentiae Balzacii laudator, morum tamen insectator fuit; quem vehementer reprehendit quod, cum contentionem cum Phylarcho habuisset, haud satis clementem se praestitisset. Balzacius vero nihil habuit antiquius quam ut se Boessatio purgaret atque ejus benevolentiam amicitiamque tueretur [2].

Theophili bonas artes animi aeque ac ingenium admirabatur: « De singulari Theophili bonitate, facilitate, fide, quae ab omni fraude et versutia alienissima esset, multa enarrabat commendatione et laude digna [3] ». Ingenii autem eum principem esse affirmabat, hoc unum questus quod in fundendis versibus facilior non satis elaboraret.

Controversiam autem de Theophilo instituit Chorerius, nec ipse eam dijudicavit, neque alii qui hac de re disputaverunt: « Barralius Mairetum plagii accusabat, auctorem Theophilum laudabat: lectos esse sibi ex *Sophonisba* magno numero versus, ab ipso Theophilo narrabat. In Mairetum, qui sibi, quae ad Theophilum ex luculentissimo poemate ventura

1. *Vita B.*, p. 33.
2. Vide epistolam die vicesimo octobris 1629 datam : « Quelque occasion qui me face recevoir de vos Lettres, elles ne me peuvent estre que très agréables. J'ay senti de la joye à la seule veüe de vostre nom, et l'honneur que vous m'avez fait de vous souvenir de moy, m'est si cher, que quand je le devrois à la Fortune, je ne laisserais pas de vous en remercier. Vous estes de ceux dont les faveurs les plus indifférentes obligent, et qui ne jettent point de regards si à l'avanture, qu'il ne les faille soigneusement recueillir », *Lettres de Balzac*, t. I, p. 154 (1665).
3. *Vita B.*, p. 36.

erat, laudem intercepisset, acerbe et contumeliose invehebatur [1] ».

Menagio placuit id crimen ita referre ut valde repudiaret his verbis: « La *Sophonisbe* de Mairet est une bonne pièce. Il s'en faloit beaucoup que Théophile fist d'aussi bons vers [2] ». Maireti, fateor, versus magis scenae congruere videntur quam Theophili; hoc tamen animadvertendum est quod *Sophonisba* ceteris ejusdem fabulis longe et multum antecellit. Nec Menagius auctor habendus est locupletissimus, quippe qui haud semel erraverit [3]. Quid quod Barralius summa cum eo familiaritate conjunctus fuit, atque ei morienti adfuit? Quae cum ita sint, non satis de re valent haec verba : « Qu'elle vienne du voluptueux et peu sûr des Barreaux, ou du beaucoup moins estimable encore Chorier, que sa mauvaise conduite réduisit à une extrême misère, et dont les livres, au style incorrect, manquent complètement d'ordre, de critique et de bonne foi; une telle accusation, portée contre un noble esprit et une âme généreuse, ne mérite que le dédain [4] ».

Hoc certum est, Mairetum a Momorantio duce « deux livres manuscrits contenant des pièces en prose et en vers de Théophile » accepisse atque amisisse [5]. Accessit illud : ipse pauper erat, cujus inopiam Theophilus pecunia sua sublevavit; eo egestatis mox prolapsus est, ut initio libri sui *Epitre dédicatoire des galanteries du duc d'Ossonne* (1636), fateri non eum puderet: « Nous aurions besoin qu'on nous traitast plus grossièrement, et qu'on nous offrist plutost de bonnes hécatombes de Poissy, avec une large effusion de vin d'Arbois, de Beaune et de Coindrieux. On nous amuse encore d'une certaine couronne imaginaire de laurier, qui ne pourroit nous servir, quand mesme elle seroit réelle, qu'à l'assaisonnement d'une carpe au court-bouillon et

1. *Vita B.*, p. 84.
2. *Menagiana* (1715), t. I, p. 245.
3. Vide *Menagiana*, editionem anno 1715 datam.
4. Bizos, *Etude sur la vie et les œuvres de Jean de Mairet*, p. 15. — Non suo nomine Chorerium crimen attulisse satis ea declarant verba quibus usus est : « Rei vero sit fides ipsum penes Barralium » : quod autem Chorerius moribus prolapsus est et oratione parum limatus fuit, non ad rem pertinet; hoc unum in controversia ponitur, num haec a Barralio secreto audierit.
5. Cf. *Nouvelles œuvres de feu M. Théophile, composées d'excellentes lettres françoises et latines, publiées par Mairet*, 1646. — Sophonisbam tantum anno 1634, Momorantio duce jam mortuo, docuit; quis tum alius eum insimulare poterat quod furtum fecisset.

tout au plus qu'à la décoration d'un jambon de Mayence en un festin ».

Praeterea qui Maireti vitam exposuerunt, haud semel eum in mendacio deprehenderunt: is enim cum se immature ingenio valuisse praedicaret, non anno 1604, id quod erat, sed anno 1610 se esse natum contendit, quo facilius fidem faceret, a se adhuc in scholis sedente de *Chriseide* fabulam compositam esse [1].

Multa ceterum a Theophilo furatus esse dicitur, quae in *Silviam* suam transferret [2]. Cujus rei vivus ac videns accusatus est, eque negavit. Eodem modo Chorerii librum qui anno 1680 in lucem venit, evolvere potuit; cujus dicta ut refelleret, nihil scripsit.

Ex his apparet dubium quidem esse num Theophilus de *Sophonisba* fabulam composuerit, at certe Mairetum nonnullos versus, quos Theophilo surripuerat, *Sophonisbae* suae, ut jam autea *Silviae*, inseruisse [3].

Nicolaum Borbonium Boessatius in primis amicis habuit: quem una cum Richelio laudibus ornavit:

O fortunatum condenda ad carmina vatem,
  Richelio tantam suppeditante struem!
O fortunatum post ardua facta ministrum,
  Borbonio tales suppeditante sonos!
Fortunati ambo, (quando id meruistis honoris)
  Tu canere illius nomen, et ille cani [4].

Tantam enim gratiam apud Richelium inierat ut cardinalis ille, quem saepe doctioribus clarioribusque viris haud facilem fuisse accepimus, libenti animo morem ei gereret: « Élogia virorum illustrium, quorum pictae spectantur in Richeliano palatio imagines, ipse primum Richelius scripserat. Verum, sibi cum diffideret, limae Borbonii expolienda subjecerat. Pleraque damnavit aut immutavit. Richelius Borbonii accepit judicium et acquievit sententiae [5] ». Quod adeo insolenter evenit ut operae pretium referre mihi visum sit.

Cum Fareto Boessatium vetustate amicitiae conjunctum fuisse jam dixi; cui Boessatii commendatione

1. Cf. Dannheiser, *Studien zu Jean de Mairets Leben und Werken*, dissert. 1888.
2. Cf. *Corneille, éd., Marty-Laveaux*, t. III, 72.
3. Pleraque horum argumentorum jam attulerat K. Schirmacher: *Théophile de Viau, sein Leben und seine Werke*, Leipzig, 1897, p. 244 et s 99.
4. *Poemata*, p. 336.
5. *Vita B.*, p. 83.

Harcurius comes summam rerum suarum administrandum commisit; Boessatius autem, cum ad Faretum litteras daret, magnifice exclamavit :

Eloquii natalis honos, nova gloria Pindi.

Et Fareto et Boessatio amicissimus fuit Barralius : cum amicos invisendi gratia Viennam venisset, Boessatius eum et Georgius Musius ad cenam invitaverunt ; quem Chorerius, qui vocatus ipse in convivio aderat, comissationum amantissimum depinxit : « Vini maxime delectabatur suavitate Barralius. Quot in cyatho guttae essent, tot Naturae concretos artificio Solis esse radios dicebat. Guttatim parce et ex intervallo bibebat, non plenis scyphis indulgebat. Haud enim submergendam esse sitim dicebat, sed sensim et per momenta levandam magis, quam sedandam [1] ». Idem et festivus vir erat et numero eorum habebatur qui Deum esse negant (iidem tum gallice *libertins* vocabantur) : quod ipsum testatur Chorerius : « temerarius illi et audax animus, non constans, non fortis. Caelum terra miscebat contemptor superum, per inertem et vaecordem simulationem, Capaneus. Fucum faciebat : nam secum ipse cogitando contremiscebat. Quod perjuris negabat sermonibus, numen, suum intra metum, supplex adorabat .. sciens et volens ipse sibi imponebat [2] ».

Denique pauca de Balduino, qui Boessatio et Chorerio familiariter usus est, dicenda sunt ; et ille, cum senex saevissimis podagrae doloribus laboraret, vix unde vitam parce ac duriter ageret habebat. Quo factum est ut Balduinus e libris et Boessatii et aliorum haud semel questum capesseret. Interea ille amplissimum in Delphinatu nomen sibi fecerat, quippe qui multos labore assiduo in sermonem patrium convertisset; eo autem tempore in tanto honore erat ars translationis, ut Chorerius scriberet : « Praecellentes inter interpretes, praecipuam gloriam tulit gallicae academiae novus splendor [3] ».

1. *Vita B.*, p. 83.
2. *id.*, p. 81. — Haud similiorem Barralii imaginem expressit modo Perrens, *les Libertins en France au XVII^e^ siècle*, p. 116.
3. *Adv.* I, 17. — Qua diligentia, qua cura in libros transferendos incumberent, satis aperte admonuit Salvagnius, cum anno 1623 haec scriberet : « M. de Vaugelas polie tous les jours sa traduction de Quinte-Curce pour la faire voir au public » ; liber ille tantum anno 1647 in vulgus emanavit.

II

Mediocri studio philosophiae ejus, quae in rerum contemplatione versatur, nostri trahebantur; nec iis audacioribus viris, qui tum undique surrexerunt ut Aristotelis disciplinam labefactarent, ac, si possent, funditus eruerent, assensi sunt, nec quanta vis nova inesset illi libro, qui inscribitur *Discours de la méthode*, intellexerunt. Ideo Chorerius de Petro Carbana, qui a Cartesio erat, cum locuturus esset, haec pauca et inania verba fecit: « His in rebus nihil omnino scire turpe est; quidquam perfecte sciri posse arbitrari stultum; nihil velle praeterea scire stultissimum duco [1] ». Solus ex omnibus iis Boessatius, ut postea dicetur, de philosophia multa reliquit.

Cartesii quidem in partibus stare animum induxerat, Gassendo tamen familiariter utebatur; nam cum eo Gratianopolim misso, ut rebus ecclesiae cui praepositus erat consuleret, omnes docti, qui tum in Delphinatu plurimum in litteris versabantur, frequentes fuerunt [2]. Non ideo nostris visus est inconstans qui et Epicurum simul et Christum sequeretur. Hoc tantum, ut omnes ejusdem aetatis, ita Chorerius ipse miratus est quod ille maximam sacris curandis rebus diligentiam adhiberet: haec quoque non omisit: « Altera die antequam e vita decederet, sacro inunctus oleo est, vere christiani hominis omnes sustinuit partes [3] ». Ex quo intelligi potest, cur cum in Delphinatu tum in tota Gallia, christianissimus quisque et Gassendum laudaret et probaret.

Nemo Boessatio fuit amicior quam Campanella: ubi Campanella post diuturnum carcerem ab Inquisitione Romana tandem dimissus fuit ac Lutetiam concessit, de felici ejus in Galliam perfugio elegiam emisit. Cum Campanella gallice nesciret, per Boessatium interpretem colloquebatur. Quae de eo Chorerius e Boessatio audiverat, a philosopho aliena esse crederes: « Vir erat jucundus et festivus: cum rure aut in hortis spatiaretur, omnia agebat, et dicebat, quae relaxarent animum, laetisque remissionibus a seriis avocarent. Aviculas, quo poterat cursu, annis et obesi

1. *Adv.* II, 12.
2. Ibidem anno 1624 *Exercitationum parodoxicarum adversus Aristoteleos libros septem* typis mandari jussit.
3. *Vita B.*, p. 136. — cf. Perrens, *op. cit.*, p. 133.

corporis mole gravis, petebat; pileum in aere jactabat; os vocemque ad eas convertebat; copiose spiritum et animam ducens, contenta voce exclamabat. Hauriamus, hauriamus vitam de vita mundi. Aerem vitam mundi vocabat, qui naturae anima est [1] ». Sub ea mirifica et insolita specie magnam vim ingenii latere, semper Boessatio persuasissimum fuit; at multi aliter senserunt: qui Lutetiae primum magna cum admiratione eum acceperant, mox iidem, uno communi consensu, tantam in contemptionem adduxerunt ut Naudaeus diceret: « Charlatan, bavard, menteur, effronté, fol enragé, philosophe masqué, ingrat et superbe, la lie et l'excrément de tous les hommes de lettres [2]».

III

Cum in Delphinatu jaceret philosophia, ars ludicra vigebat; quod idem non in omnibus provinciis factum esse certo scimus: Divione enim « les magistrats, les avocats, les médecins croyaient indigne de leur gravité de s'occuper des choses du théâtre [3] ».

Qui tum in Delphinatu arte tragica vel comica floruerint si anquiras, nullum quidem invenias dignum qui poeta appelletur; fabulas quoque vix paucas proferre possum, de *Dario* Chorerii tragoediam ac de *Alexandro Romaro* ejusdem tragicomœdiam, utramque ab auctore ipso laceratam aut igne abolitam; Boessatii tragoediam de *Anna Bolana*, in qua Belrosius personam sese acturum, vel non rogatus, promiserat; le *Courtisan parfait* (1668), tragicomœdiam, quam utrum Gilbertus, Christinae reginae amanuensis, ut quidam ferunt, an quis alius scripserit, incertum est; le *Duel fantasque* (1668) comoediam, quam primam composuit histrio Rosimondus; denique nonnullas fabulas, a J. Milleto sermone rustico scriptas : la *Pastorale et tragi-comédie de Janin* (1633), la *Pastorale de la constance de Philin et Margoton* (1635), quae sepe impressae sunt [4].

1. *Vita B.*, p. 128.
2. Cf. Perrens, *op. cit.*, p. 71.
3. Jacquet: la *Vie littéraire dans une ville de province sous Louis XIV*. p. 82.
4. Viennae quidem et Gratianopoli, multas composuerunt tragoedias e Jesuitis rhetorici magistri, egerunt discipuli; at iis quid cum scaena?

Nullam tum in Delphinatu offensionem, ut saepe in aliis provinciis factum est, scaenici actores concitare solebant: quin etiam Molerius, cum Viennam venit, tantum secum studium attulit ut, quascumque acturus esset fabulas, sedes conducerentur omnes: et Boessatius, quo nemo ardentiori pietatis affectu Deum coluisse traditur, non assiduus tantum spectator aderat, sed Molerium etiam ad cenam adhibuit, haud tamen ignarus quid ille de religione sentiret, qui « nullam prae se christianae virtutis speciem ferebat [1] ». Cum praeterea sollemnia quaedam ridicula et absurda (ea gallice vocabant *fêtes des Innocents, des Noircis et des Merveilles*), quae media aetate coeperant, etiamtum Viennae superessent, ea ad funditus tollenda nihil aptius Viennensi archiepiscopo visum est quam ut ipse honestioribus ludis faveret.

Ex iis illustrissimis poetis, qui aetate illa arte tragica vel comica valuerunt, Cornelius et Mairetus et Molerius Allobrogibus notissimi fuerunt. Cornelii fabulam, quae *Medea* inscribitur, vehementius admirabantur quam *Cidum*; at maxima tragoediae illius, quam Mairetus de *Sophonisba* scripsit, fuit admiratio: quae, ut Chorerii verbis utar, « Parisiis et in clarioribus Galliae urbibus acta mirum in modum placuerat. Tanta et optimatum et Plebis approbatione ac plausibus accepta fuerat, quantis alia hac aetate nulla erat [2] ».

Molerius autem comoedorum princeps habebatur. Inter omnes constat Chorerium, dum anno 1641 Boessatii hospitio usum esse Molerium testatur, erravisse; inde, qui de poetae vita scripserunt, quo anno Viennam venerit inquirentes, multa ac varia conjectaverunt; quae, quanquam nullo modo, ut opinor, probanda sunt, in brevi conspectu ponere refert.

Unus [3] suspicatur Chorerium, cum anno 1641, ut supra dixi, Boessatii causa Lutetiam venisset, tum nonnihil rationis cum Molerio habuisse; Molerium vero, postquam regi anno 1642 Narbonem proficiscenti cubicularius fuit comes, Viennae, cum rediret, commoratum esse.

Sed haec speciosiora quam veriora sunt: Chorerius enim non omissis illorum virorum nominibus,

1. *Adv.*, II, 11.
2. *Vita B.*, p. 84.
3. Baluffe: *Molière inconnu* (1886), t. I, cap. II et III.

quibuscum, dum Lutetiae versatur, consuetudines fecerat [1], nunquam de Molerio meminit; imo Lugduni ac Viennae [2], non Lutetiae, cum eodem se congressum esse testatur. Praeter haec anno 1642 comoediarum scriptorum numero Molerius non habebatur; at contra de suo Viennae aliquid dedit egitque; quod Chorerii verba satis significant: « Sellas Boessatius jusserat... ad spectandam, quam Mollerius fecerat, comoediam ».

Scriptor quidam alius [3], evolutis Viennensis curiae ac Hosp. regestis, anno 1654 Viennae Molerium versatum esse putat, atque his curiae decretis utitur, ut quae ad Molerii gregem pertineant:

« Le 25 septembre 1654... il est remonstré dans l'Hôtel-de-Ville et police qu'il y a des commédiens en cette ville qui désirent de jouer, et dresser un théâtre à cet effet sans avoir demandé permission à la police.

« Le 26 septembre... il est inhibé et défendu aux dits commédiens de jouer dans la ville ni faire dresser leur théâtre, sans au préalable en avoir demandé et obtenu la permission de la police [4] »

Rem, auctore eodem, Nicolaus Chorerius ac Petrus Boessatius expedierunt [5].

Quod autem ille, multis quidem instrumentis scriptorumque locis usus, conjectura tamen collegit, satis mihi causae videtur ut repellam; nam a Chorerio accepimus rixam de sellis locatis, cum Molerius fabulam acturus esset, inter Boessatium Hieronymumque Vacherium ortam esse; unde, nisi Georgius Musius, subsidiorum curiae princeps, Jacobusque Marcherius, regius publicarum causarum patronus, se interposuissent, ad singulare certamen descendissent. Marcherius autem mense septembri anno 1653 de vita decessit: hinc efficitur ut jaceat tota conclusio [6].

Scriptor denique alius anno 1651 Molerium Viennam se contulisse contendit: quod ut demonstraret, argumenta ex eo nonnulla petivit, quod « le changement de *quinquagesimus primus* en *quadragesimus primus*, ou de MDCLI en MDCXLI, si, dans le

1. *Adv.*, I, 4.
2. *Advers.*, II, 11.
3. C. Brouchoud, Lugdunensis causarum patronus.
4. Cf. *Compte-rendu par Simon Vial, maire et administrateur de l'Hostel-Dieu* (1654) : « item se charge de la somme de 23 livres 12 sols reçues des commédiens qui ont joué en la maison de ville lad. année 1654 ».
5. Cf. *Les origines du théâtre de Lyon*, 1865, p. 28. — Le *Moliériste*, juin 1882. — *Lyon-Revue*, mai 1883, p. 264-274.
6. Cf. *Regesta parochiae a sancto Andrea dictae*.

manuscrit, la date était en chiffres, n'a rien d'étonnant [1] »; ac praeterea haud multo ante Molerius, ut e Chorerii libro satis constat, Viennam venit quam Nicolaus Heinsius, quem anno 1651 octobri mense iter fecisse certo scimus [2].

Quid autem fidei hac de re Chorerio habendum est, quo nemo unquam minus diligens in exquirendis temporibus exstitit? quod vehementer queritur J. Ollivarius : « Le reproche le plus grand à lui adresser, pour son *Histoire du Dauphiné*, est d'avoir apporté si peu d'ordre et de critique dans la date des événements, que sa chronologie est inextricable de perturbations et qu'on ne peut le consulter qu'avec la plus extrême circonspection [3] ». Haec est temporum neglegentia, ut, postquam de Heinsii adventu meminit, haec adjecerit : « Post haec, inter Gasparum Viallerium de tradenda mihi Catharina sorore conjugio, et me convenit [4] »; ille autem anno 1642, mense novembri, uxorem duxit. Inde apparet et exstat temporibus etiam atque etiam Chorerium erravisse.

Nusquam praeterea in regestis Hospit. de pecunia anno 1651 ab histrionibus accepta mentionem inveni. Huc accedit quod eo anno, ineunte aprili, in urbem partium studiis divisam seditionibusque turbatam Franciscus Viriacus Pointerius de senatorum numero amplissima cum potestate venit, ut quibusdam judicum decretis intercederet; qui Viennae diutius exspectatione commoratus est. Postremo omnium rerum ab anno 1650 usque ad annum 1653 privatio fuit in urbe; inde omnes, ut apparet ex regestis ejusque aetatis scriptis, querebantur « La calamitté du temps, pauvretté du peuple, cherté des vivres, passages des gens de guerre, malladies suspectes [5] ». Quae cum ita essent, num verisimile est ut Molerius cum grege, in tanta rerum ac temporum iniquitate, fabulas acturus Viennam venerit ?

Quanto probabilior conjectura videtur, anno 1649 Molerium Boessatii hospitio usum esse ! Nam in iis regestis, quae ad annum 1649 pertinent, legimus : « 3 octobre — reçeu des comédiens pour leur avoir loué le salon pour jouer leur commédie 22 livres ».

1. *Edition des Grands Ecrivains, Molière, notice biographique*, p. 125.
2. Cf. *Heinsii advers.*, p. 21.
3. Quod attulit Rochas, *Biographie du Dauphiné*, t. I, p. 241.
4. *Vita*, p. 75. — Quid quod in *adversariis* idem Heinsium anno 1645 vel 1646 ad Boessatium invisendum Viennam venisse scripsit?
5. *Regesta curiae et Hosp. Vienn.* (29 mai 1650).

Hoc loco an Molerius significetur, incertum est; haud tamen contra conjecturam eam repugnant, quae de poëta, cum per Gallicas provincias iter faceret, comperta habemus. Eum enim die sexto decimo maii mensis anno 1649 Tolosae, Narbone autem ultimo decembri versatum esse certo scimus [1]. Mediis septem his mensibus, quam in urbem cum grege se contulit? non possum quin suspicer poëtam illum, postquam adventu comitis *du Roure* Tolosae fabulas egit, protinus cum eodem, conventus provinciae acturo, Montem Pessulanum venisse atque inde Viennam processisse.

Quibus verbis usus haec de Boessatio nobis tradiderit, animadvertendum est: « Honorem Molerio Boessatius habebat. Haud illi, ut tetricitatem stultam et superbam nonnulli affectantes, male dicebat... lautis excipiebat epulis; non, ut sacris interdictum, impiorum et sceleratorum numero, quod fere quaedam beluae solent, habebat [2] ». Noster autem, sicut infra dicam, religionum cultor in dies diligentior, aetate ingravescente, devotissima fide se immersit, rerum divinarum, profanis omissis, in studium incumbens totus. At eo pietatis anno 1649 nondum processerat, ut ab omni hominum societate se removeret; tum enim uxorem duxit; tum, ut opinor, de libris typis mandandis curavit; tum equidem dubito an rursus, fortunae olim adversae oblitus, litterarum ac ludorum deliciis indulserit, adeo ut fabulis spectandis frequentior esse soleret.

Quam autem fabulam anno 1649 Molerius dedisset, si quis rogaverit, respondere licebit: « Molière n'a attendu ni la date de 1655, ni même celle de 1653 pour se révéler à lui-même et au public [3] ».

Mihi tantum non sumo ut, dum in hanc partem disputo, argumenta, quae nihil dubii relinquerent, attulerim; nec re satis, fateor, comprobata, libera conjectura est [4].

1. Cf. *Journal de Toulouse*, 6 mars 1864. — Bricauld de Verneuil: *Molière à Poitiers en* 1648, p. 25 et 55.
2. *Vita.* — p. 72.
3. Quod dixit Despois, *Edit. des Gr. Ecriv.*, t. I. p. 86. — Adde quod in vetere quodam regesto, quod ad annum 1649 pertinet scriptum est: « Payé au sieur Dufresne et autres comédiens de sa troupe la somme de soixante-quinze livres, pour avoir, du mandement de messieurs les Capitouls, joué et *fait* une comédie à l'arrivée en cette ville du comte de Roure ». *Journal de Toulouse*, 6 mars 1864.
4. Cf. *Revue d'Hist. litt. de la France*, avril 1899.

IV

Relinquitur ut de paucis ejusdem aetatis scriptoribus dicam, quorum si minus de scriptis, at certe de vita moribusque quaedam nostri comperta habuerunt.

Quam multi in provinciis carmina sua legerent, Boesleus ipse docuit; at Boessatius maturius ex vita abiit quam ut eum cognoscere posset. Chorerius vero, cum Lutetiam itaret ac forte esset apud Lamonium, cujus in domo viri quidam litterati, quasi Academia quadam constituta (sic enim coetus ille doctorum vocabatur), diebus certis convenire solebant, in eum incidit: « Despraeus-Boesleus, satyrarum egregius scriptor, de origine poeseos (nam de poesi disputandum sibi assumpserant), verba fecit [1] ». Quid de eodem Boesleo anno 1672 Carolus de Sancta Maura, Montauserii dux, sentiret, Chorerius aperuit: « Cum de Boesleo nescio quid forte attulissem, laudavit utcunque ingenium, saevam truculenti animi virulentiam est detestatus: qualem mores boni non paterentur nec Musarum honestas probaret, pro merito, petulantiam oderat, nec dissimulabat ». Satis constat eum quinque post annis Boeslei animum sibi reconciliavisse.

Pellisso quoque Fontanerius, cui ceterum multis jam libris editis, non novus erat, eum benigne accepit atque « affabilitatem, humanitatem et comitatem » navavit; idem « Fouqueti patroni, quanquam damnati, appensam in musaeo, conspicuo loco, imaginem servabat [2] ».

De Quinaldo, « claro gallicos inter poetas », nonnihil novi comperit ac docuit; cum enim Meserayus vocabularii illius Academiae primam partem perfecisset, ex Academicis alii eam sine mora typis mandandam esse censebant; « alii repugnabant, qui de orthographia gallicae linguae primum conveniendum inter omnes arbitrabantur, ut quod statuissent litteratis pro lege servaretur. Quinaldus hujus princeps sententiae erat [3] ».

Denique Chorerius Bossuetum ac Montauserium, cum adulescentulum regis filium regerent, per transennam, ut aiunt, adspexit; quod enarravit ipse

1. *Adv.* II, 11.
2. *id.*
3. *id.*

verbis tam lepidis ut ea non percribere non possim : « Erat Montauserius cum Delphino, cui Bossuetus, Condomensis antistes, illa hora, nescio quae ex praeceptoris officio et munere, ad clamorem, tantum non vociferationem, elata voce, ingerebat. Miranti Flescherius (*Fléchier*) rationem reddidit. Nam pomeridianis his horis, inquit, venatione princeps animum recreavit ; etiamnum evagatur pueri animus, quem ut ad seria advocet, contentiori voce praeceptor, vir moderatissimus, in docendo opus habet. Tunc quae esset instituendi et emendandi ratio quaesivi. Si quid admiserit peccaveritque, refert, quod virgis luat, quod rarissime contingit, rex ipse poenas sua repetit manu ; ferulam Montauserius moderator impingit ; nullae sunt vero praeceptoris partes, praeter sedulitatem et vivae vocis officium. Exeuntem Montauserium salutavi : tute ipse, inquit, in patriam reversus, quam nos diligentiam, in excolendo Delphini ingenio et magno fingendo principe, praestemus, testabere, si quis addubitet. Tunc sermonem de eximia principis indole orsus plurima, quae magna quaeque pollicerentur, edisseruit [2] ».

V

In ea scriptorum illius aetatis commemoratione paucos protuli, plures atque eos forte maximos omisi, seu nostri non noverant seu tacuerunt ; nulla enim fit mentio apud eos et Pascalis et Racinii et Fontanei. Quod de Pascale silent, minime mirum est, cum tota penes Jesuitas in Delphinatu puerorum institutio esset. In Fontaneum nunquam Chorerium incidisse, cum in Parisienses circulos doctissimorumque coetus frequens veniret, non admodum credibile videtur ; quis autem temporibus illis, praeter eos, qui paucissimi judicium subtilius haberent, hunc virum quasi subrusticum, multis procul a se relictis, longius fama processurum esse, suspicabatur ? Racinium vero minime cognitum habuerunt Allobroges : ille enim, luculentus poeta ac facilis, cum modestus tum verbis audax, aulicorum eorum mores effinxit,

2. *id.*

quibus nostri tam parum usi erant, ut plerique his Chorerii verbis assentiri possent : « Quid mihi cum proceribus » ?

Hinc tamen efficitur Boessatium, ut longe lateque per Delphinatum gallicae litterae fluerent, haud parum adjuvisse, quippe qui amicis Parisiensibus Chorerium diligentissime commendaverit ; at rursus ille, si quis liber novus Lutetiae edebatur, quanti aestimandus esset, cum in provinciam suam revertisset, suos plane docebat.

PARS III

De latinis Boessatii poematis

CAPUT I

DE POEMATE QUOD INSCRIBITUR MARTELLUS

Hortatu suo Chorerius contendit Boessatium poema heroicum aggressum esse. Demum Vienna, postquam ibi se abdidit, hoc opus eum in manus sumpsisse constat [1], nec infitior Chorerium amico roganti, quid versibus ornaret, proposuisse. Suspicor tamen Jesuitas, qui cum adulescentem eum litteris erudivissent, cum eodem posterius nonnihil rationis vel quoque familiaritatis retinuerant, ut heroïcum carmen conderet, fuisse auctores.

Tunc enim, iis faventibus, epos in Gallia vigebat; nec hic locus est ut loquar de Jesuitis omnibus, qui, magistris antiquis, arte epica floruerunt; paucos laudare satis est, Antonium Millieum, Viennensis collegii anno 1619 rectorem, qui poema condidit quod inscribitur: *Moyses viator, seu imago militantis ecclesiae* (1636) [2]; et Joannem Busserium cui in eodem collegio docenti cum Boessatio amicitia fuit, atque ille, jam poemate *de Rhea Liberata* composito, cum majus sibi proponeret, anno 1656 *de Scanderbergo* quatuor libros typis mandavit [3]; et

1. In errore versatur Rochas, cum haec dicit : « Boissat montra, dans l'Académie de Gaston, les produits de sa verve, entre autres. son *Martellus*, qui ravit tous les auditeurs »: *loc. cit.*

2. Lugduni, XIII libri ; quibus anno 1639 altera pars quindecim librorum addita. — De illo, vide A. Péricaud : *Notes et documents pour servir à l'Histoire de Lyon, année* 1636.

3. De quo dixit Capellanus : « Cet auteur a beaucoup de feu et d'élévation dans la poésie latine, et a fait plus d'un grand poème avec succès ». *Mém. de quelques gens de lettres vivants en* 1662. — Cf. Idt, *Archives du Rhône*, t. III, p. 268.

Petrum Mambrunum, qui *de Constantino* poema demum anno 1658 praelo subjici jussit, at multis ante annis composuerat, ut ipse testatur in praefatione [1].

Ex iis heroïcis carminibus quatuor et viginti, quae, gallice scripta, collegit Delaporte in thesi: *Du merveilleux dans la litt. fr. sous le règne de Louis XIV* (1891), primum a Jesuita Petro Lemonio compositum est [2].

Quae autem fuerunt causae cur Jesuitae in hoc canendi genere summo studio versarentur? duas, nisi fallor, afferre licet.

Primum enim Vergilium maxima admiratione prosequebantur, quo neminem arte et ingenio praestantiorem fuisse dictitabant. Quemadmodum igitur Richelius tam acri scaenicorum ludorum studio tenebatur ut ipse circa scaenam versari non fastidiret, sic Jesuitae genus illud heroïcum in antiquum honorem restituere conati sunt, quippe quod nec mores corrumperet neque multum difficultatis ac laboris habere videretur; ducem enim cuique sequi licebat poetam illum, quem Boessatius « le divin Virgile » vocare solebat; neque cuiquam religio erat quominus ab eo lumina quaedam ac flores furaretur, quae satis erant ut opus si minus novum, at certe haud spernendum conderetur [3].

Praeter hoc epos magis quam tragœdiam in animis legentium excitandis, quo sanctius Deum venerarentur, valere putabant; itaque omnes qui poemata, de quibus supra dixi, composuerunt, praesertim res in Dei honorem gestas versibus celebrabant: testis est Busserius, qui in *Scanderbergi* libro primo hoc unum precatur, ut christiani reges, sicut ipse Scanderbergus, armis sumptis, in Byzantia moenia conjungant.

Eodem spectat Boessatii *Martellus*, cui *Triumphi Christiani* titulum inscripserat; quid in eo agatur, breviter describam, ac videbis nostrum non tantum e Vergilio, sed etiam e religionibus multa sumpsisse, ut qui modo e divino fonte, modo e profano hauserit.

1. Idem, anno 1652, ediderat *Dissertationem Peripateticam de epico carmine*.

2. *Saint-Louis* (1653) — in quo laudando multus est ille Costar: cf. *Lettres*, t. II, p. 735.

3. Adjumento erant libri quidam ac thesauri; is est ille qui inscribitur: *Thesaurus P. Virgilii Maronis, in communes locos jampridem digestus a Mich. Coyssardo, editio recognita*, 1610, *in juventutis poetices studiosae gratiam*, — Primus ille fuit rector Viennensis collegii.

Qui nihil adhuc nisi amores, silvas, fontes, amicos mortuos cecinit, idem nunc majora aggreditur :

> Hispalidos Libyaeque acies in Gallica missas
> Arva canam, et largo pugnatas sanguine pugnas,
> Discolor indomito quas intulit advena Celtae [1].

Initio carminis legimus nuntiatum esse per Galliae urbes, ingentem Abderamum, innumera Maurorum vi, in Francos bellum renovare. Statim Carolus, qui tum forte finium imperii francici regundorum nomine in Frysionibus agebat, redit; a Theodorico rege, aulae Major nominatur, atque ingentes copias conscribit, ut hostibus sese opponat.

Sed Eudus, dux Aquitaniae, in Abderami partes deflectit, unde oritur indignissimum cum Saracenis fœdus. Abderamus Galliam Narbonensem et Aquitaniam totis viribus depopulatur.

Hermanfridus ad Eudum ab icto fœdere dimovendum mittitur; itaque, gratiae caelestis ope, Eudus a proposito avertitur, et ad Francos mentem convertit.

Carolus exercitum Lutetia movet, Turones festinis itineribus contendens. Illic recenset copias, atque a nullo perfecti ducis abstinet officio. Instructa utriusque acie, quisque ducum suos hortatur; tum pugna ingens accenditur, qua Mauri fusi fugatique in Eudi copias incidunt, et immensa strage occiduntur. Denique Carolus, Francorum interemptorum exequiis factis, festo ingressu Lutetiam adit, et illi nomen Martelli imponitur [2].

Nunquamenotuerunt Boessatii scripta : sequitur ut eorum verbis, qui *Martellum* probaverunt nec legerunt, fides habenda sit minima. Capellanus quidem, ejus mentione facta, non laudat nisi in transitu, et quanti sit prudenti consilio tacet: « Que dirois-je de l'avantage qu'a sans doute la gravité magnifique du *Constantin* du R. P. Mambrun et du *Martel* de M. de Boissat, sur l'inculte simplicité de ma bergère ; si je les avois aussi bien veus, que je sçay de quels grands efforts leurs autheurs sont capables, et si l'on

1. In codice H. 65; nam in poemate, quod typis mandatum est, desunt circiter trecenti versus et quadraginta.
2. Retractavit Boessatius *Martellum*, qui ad duodecim libros pervenit, sed non delendum est, quod emisit hos duodecim libros, in quibus multa fusius narrantur, multa exponuntur ineleganter; longe autem digreditur liber X, in quo omnes reges inclyti, e Martello oriundi, prophetice praedicuntur.

pouvoit aussi bien faire comparaison entre des poèmes de langage différent, qu'entre ceux d'une mesme langue [1] ».

Quanta autem Sangenesii est admiratio ! quod inanium verborum flumen !

..................Quid ille victor
Martellus tibi nunc gerit ? Quid illi,
Quin lucem videat, struis morarum ?
Virorum manibus politiorum
Jam tritum oportuit. Anne sempiternis
Pressum condere cogitas tenebris ?
Nae tu, si faceres, decore summo
Fraudares patriam, tuaeque iniquus
Famae, consuleres Maronianae [2].

Sic laudando hoc opus augetur, ac si forte postea edidisset Boessatius, periculum erat ne opinionem falleret [3].

Re autem vera, ex iis qui de *Martello* judicium fecerunt, duobus tantum hoc poema perlegere concessum est : quorum alter, Thomas Ulmeus, in carminum libello suo, la *Muse Nouvelle*, cum magnifica tum inani laude et carmen et poetam cumulavit; alter Chorerius, immodicus ipse laudator, vehementer admiratus est, affirmans amicum « feliciter ac mirabiliter illud absolvisse ».

Uterque modum in laudando excessit. Minime quidem, *Martello* edito, Vergilii famam Boessatius obscuravisset, suam tamen, ut opinor, auxisset : cujus poema ceteris latine scriptis, quae tulit illa aetas, in aequo ponendum esse videtur.

Quid enim dignius quod versibus celebraretur, quam bellum illud gravissimum, quo Franci non tantum pro patria sua ac focis, sed etiam omnium Europae gentium pro aris ac religionibus adversus hostes infensissimos fortissime dimicaverunt? Atque idem tanti momenti et militum numero et eventu, ut si forte nostri praelio victi discessissent, nullus jam

1. In praefatione Puellae Aurelianensis. cf. Costar, *Lettres*, II, 479.
2. *Sangenesii Poemata* (1654), p. 144.
3. Quin etiam Bailletus *Martellum* cum nec legisset nec vidisset, versibus gallicis scriptum esse credidit (*Jugem. des Savants*, t. V, p. 255) ; quem nescio quo errore non segregavit ab alio quodam poemate, quod condidit Carelus de *Sainte-Garde* : les *Sarrasins chassés de France* (1667) ; in eo narrantur quae post Abderami mortem, Narbone expugnata, evenerunt : cf. Viollet-le-Duc, *Bibl. poét.*, p. 582.

rex esset, nullus populus, qui ruentium impetui sustinendo par esse videretur.

Attamen hic Carolus, Pipini filius, exemplar illius fortissimi viri, quem quisque carminis heroïci conditor primas agentem fingere solet, non posuit; quippe nothus erat, atque inde apud Plectrudam, priorem Pipini uxorem, liberis suis paternos honores vindicantem, erat in odio. Quae ante Arabicum bellum fortiter gessisset, illius aetatis annalium scriptores seu omiserunt seu breviter significaverunt, nedum ordine enarraverint; ex quo effectum est ut vir ille primum apud Boessatium vix de multis emineat.

At rursus Boessatius maxime valuit, qua militari virtute Martellus vigeret, quo impetu adversis hostibus occurreret, verbis exprimere et ante oculos ponere: ne ancipiti Marte stet pugna dum praecavet, impiger bello, ad omnia paratus, hic inducitur Martellus; vel in castris, cum seditio cooritur, militibus nonnullis se Austrasiano obnoxios esse aegre ferentibus, animo infracto et impavido vultu seditiosis obsistit nec timet [1]. In acie manu promptus idemque sui semper compos, fortissime pugnat ac multa cum pugnantium caede, in medios hostes se immittit, si Arabum ducem Abderamum convenire possit, ut « extremo claudat tot damna duello [2] ».

Ceterum noster, cum heroïcum carmen, quod ad res publicas, non privatas, ad majores ac patriam communem, non ad unum virum vel illustrissimum pertineret, condere sibi proposuisset, quotiescumque, dum res narrat, occasio datur, Galliae regiones et loca describere solet: Massilia, et Gallia Narbonensis, et Sequana quibus commodis ac rebus admirandis abundent, seu natura dedit, seu finxit hominum manus et opera, exponit, uberior autem de Turonico, quod copiose, Vergilii aemulus, versibus profluentibus et canoris, depingit:

Nulla (oculis totum licet usurpaveris orbem)
Fidior humano respondet terra labori;
Nulla vel hortensi cultu, vel divite gleba
Uberior, laetoque Patris sudore Lyaei.
Hic plusquam medio Phaebi revolubilis orbe
Purpureos apices genialis Flora coronat,
Cui sese comitem sine fine Favonius addens
Mollibus ambrosium labris expirat odorem [3].

1. *Lib. IV*, p. 85.
2. *Lib V*, p. 115.
3. *Lib. IV*, p. 94.

Copiarum, quibus praeerat Martellus, numerum inire aggressus, de plerisque Galliae urbibus meminit; quid multa? Quod majorum nostrorum memoriam renovavit, dignus est qui ab oblivione ipse vindicetur.

Res ad historiae fidem quam maxime narravit, ac, si Boessatii poema cum iis annalibus, quae temporibus illis scripti sunt, praesertim cum Busserii *Historia Francica* [1], diligenter contuleris, nusquam videbis nostrum a veritate scientem prudentemque deflexisse, nec poetarum more commenticia remiscuisse; non ideo semper vera a falsis dijudicare nec fabulas vel absurdas, quae tunc vigebant, repudiare potuit; ei enim non dubium est de numero incredibili Francorum et Sarracenorum, quos periisse memoria proditum est:

...centum quater ciderunt millia letho,
Aut Eudi insidiis, aut Franco fulmine tacti :
Cum..................................
Quaesierint campo vix mille cadavera Celtae [2].

Neque tamen assentiri voluisset Lemonio dicenti : « Plus on invente en dehors de l'histoire, plus on est poète [3] ».

Deum, Virginem, Angelos, Daemones induxit; qui rebus intersunt, bello se immiscent, omnia ducunt ac peragunt, nec mirum est: hoc enim poema de Christianae fidei victoria est. In secundo libro cogitur inferni concilium; rex Erebi, postquam quae loca sibi jam detracta sint, exposuit, tandem exclamat:

Illudatne meis etiam mea Gallia sceptris?
Gallia dives opum, ridentis et ubere glebae,
Heroumque ferax, nostris (si fata faverent)
Mittere quae totum poterat sub legibus orbem [4].

Itaque Carolus, dum in infideles bellum infert, se pro Christo pugnare pro certo habet. Praelio commisso, Deum ac maxime Virginem, quae semper oranti subvenit, ad auxilium devocat; ac milites admonet

1. Quam, etsi tantum anno 1661 edita est, jamdiu perfecisse testatur scriptor.
2. *Lib. V.*, p. 119.
3. *Saint Louis*, in praefatione.
4. *Lib. II*, p. 28.

quam sit pulchrum pro Christo cadere, « aeternaque dies pro sede pacisci ». Quae cum narrat, poeta ipse, mente in altum data, cives suos vehementer adhortatur ut eadem alacritate qua olim, in gentes Christo infensas proficiscantur:

Cumque superbus ovet sceptris spoliandus iniquis
Ottomanes, sparsoque gemat male mersa cruore
Graecia, et eversos media inter rudera cultus
Dia prophanata testetur ab aede Sophia;
Cum procul Eoo vindictam in pulvere poscant
Exequiae memores, et inulti funera Christi;
Et ferro, et flamma fidei delere sequaces,
Atque cruces crucibus, Christumque opponere Christo
Non pudet, et gemina pugnantes fronte Marias,
Tristia vesani protendere signa furoris [1]?

Magicas artes, quas Capellanus esse putabat « aussi plausible pour machine épique que les divinités d'Homère [2] », non adhibuit, quod ego in laude ejus pono. Neque tamen abstinuit, quin muta quaedam et occulta loquentia induceret: nam Ambitioni Pluto praecipit ut Abderamum ad bellum trahat, Livori ut ad ulciscendas injurias Eudum concitet; quae, fateor, haud feliciter poeta excogitavit. In tertio autem libro, persona quaedam nova ac venusta adumbrata est, Metanaea (graece Μετανοια). Gratiae soror, quae, si quis viam mali ingressus est, ad virtutem redire cogit:

Nunc sola ad nemora, et caeco spelaea recessu;
Nunc et Hyperboreas inter projecta ruinas:
Saepe etiam aërio scopuli de vertice pendens;
Saepe Palaestini lachrymanda ad rudera templi,
Uda genas, obtusa sinus, effusa capillos,
Longum ululat [3].

Non quod contendam Boessatium aequalibus suis et ingenii elegantia et judicii acumine excelluisse: ut enim ii, qui seu gallice, seu latine scripserunt, Christianorum numina una cum Graecorum Latino-

1. *Lib. V*, p. 106.
2. Quod jam attulit Delaporte, *op. cit.*
3. *Lib. III*, p. 77.

rumque diis inducere non dubitaverunt, sic noster [1] et Luciferum Erebi regem appellavit, et daemones « imis penetralibus orci » exiisse, et Christum ad incarnandum « Olympi a sedibus ipsis » exscendisse dixit. Deus ipse nunc « summi regnator Olympi », nunc « Deus Optimus Maximus » appellatur. Attamen si quid tantum ad Christianam fidem pertinens exponere voluit, cum apud poetas latinos deessent vocabula, rebus novis novum loquendi genus, inusitata verborum junctura usus, ponere visus est: in libro sexto sacerdos quidam « singula divini pandit mysteria cultus »; sic eodem loco definitur Trinitas :

> Addit ut aeternum steterit sine semine Verbum,
> Quae species perfecta Patris, qui Filius ingens,
> Natura non alter ab hoc, Deus unus, et idem ;
> Lenis ut amborum flatu spiretur utrinque,
> Nec genitore minor, nec major prole Voluntas ;
> Quae divinus amor dicta est, et spiritus ingens,
> Natura non alter ab his, Deus unus, et idem [2].

Apud Mambrunum legimus : « Epopaeiae ornatus aliquis est per Episodia, agnitiones, Peripetias,.... et similia [3] ». Quae Boessatius non omisit: et Hispaniam a Mauris invasam, et Carolum procella gravissima jactatum, quae tandem divina miseratione sedatur, et nuptialis pompae apparatum, et milites Parisiorum urbem intrantes, legentium oculis subjecit. Idem longius a proposito aberravit, ut viam non novam, sed tritam ac pervulgatam ingrederetur, cum nescio qua ornandi causa Amazonidem quamdam induxit: quae quos casus experta sit, quomodo a pueris parentibus sublata, regis filio, dum apud Mauros educatur, amorem immiserit, ac deinde in acie capta, in Francorum castra adducta atque a patre cognita sit, ordine ac pluribus verbis narravit.

Nec in illo poemate hoc unum claudicat: nam

1. In libro eo qui inscribitur *Commentaire sur Synèse*, haec recte animadvertit : « Ronsard excuse ces noms si fréquents de dieux, de muses, d'Apollon, de Junon, de Jupiter, par la réflexion qu'il fait que tant de noms ne représentent chez un sage écrivain que les différents attributs d'un mesme Dieu, quoiqu'à parler véritablement il seroit à désirer que ce fameux autheur eust usé moins licentieusement de ce privilège de son art, et qu'il eust un peu moins bigarré les mentions qu'il a faictes de la première sagesse seule inspiratrice des vrais poètes » : Cod. H. 51. — Cf. Balzac : *Dissertation sur Herodes infanticida.*

2. *Lib. VI*, p. 135. Quid quod virgo appellatur « Pneumatis uxor » (IV, p. 99) ?

3. *Dissertatio*,. p. 24.

mirum quantum rudis est noster ad amoris sensum verbis effingendum [1]; saepe contraria contrariis prave opponuntur; multae sunt imagines aut vulgares aut illiberales [2]; abundant verba ea abstracta, quibus versus tardiores et sermoni propiores fiunt; denique poetas latinos, Vergilium autem imprimis, Boessatius imitari solet, quibus non verba tantum, sed etiam versus surripuit [3].

Verumtamen et res quas versibus ornaret, optime nostrum delegisse, et quae ad majorum memoriam pertinerent, et numina cum majestate sua expressisse, fatendum est; quod si verba spectas, abundantia et elegantia et ornatu oratio ejus valet, nonnunquam nitet; testantur hi versus, quibus Deum tempestatem sedantem finxit:

Ingentique manu, qua fulguris explicat alas,
Et qua turbinibus, tonitruque accinctus, et igni,
Haud dubias torquet scelerata in pectora mortes,
Hac ipsa Princeps altam super aequore pacem
Imperat, horrentesque notos, et fulgura sedat [4].

CAPUT II

DE CETERIS MINORIBUS POEMATIS

Hermonomi, sive Institutionum imperialium libri IV

De hoc poemate distinctius dicere operae pretium

1. Vide Childobrandum, Amazonis, quam vicit, amore captum :

Quique omnes gladios, quique arma ferocia regum
Spreverat, et celeres nervo stridente sagittas;
Fixa Cupidineis suspirat pectora telis,
Captiva captivus abit demissior hoste,
Datque, capitque manum, victaque a virgine pendet

Lib. V, p. 123.

2. Adulescens quidam, Martiae Amazonis amore flagrans, ut mentem aegram percuraret frustra herbis usus, exclamat :

Dispereant herbae; verus mihi Martia Paean:
Vera meis Panacaea malis, Illa inclyta Virgo
Jus vitae tenet una meae, tenet una sepulchri...
Nostra Salus nutu illius titubatque, vigetque.

Lib. II, p. 56.

3. Ne diutius te demorer exempla afferre omitto. Illud tamen animadvertendum est, in *Martello* quosdam versus imperfectos esse : num eos reliquit, ut opus Æneidi similior esset ?

4. *Lib. III*, p. 68.

est, non quo per se pluris ceteris aestimandum sit, sed quia de re trita ac pervulgata ratione nova et insolita in eo disputatur. Euthynoï enim adulescenti, non satis Ingenio valere querenti ut in juris scientiam se insinuare possit, Hermonomus, vir senex ac justitiae mystes, ad institutionum imperialium viam aperiendam se profitetur adjutorem.

Quanquam poeta noster in extremo libro suo haec de se praedicare ausus est:

Primus et Aonii duxi de verticis hortis
In Themidis lucos, inque ardua tesqua puellas [1],

unum tamen talia jam antea aggressum esse constat: nam Scipio Dupleix anno 1635 *Axiomata*, *Sententias et Regulas juris, versibus redditas* edidit; quo noster scientia juris paulo inferior est, multo autem superior poetica arte. Etenim Dupleix, omnes leges eas, quae ad eamdem rem pertinent, versibus exiliter ac breviter complexus, commentariis subjectis oratione soluta satis diserte explicat atque explanat. Boessatius contra, ut Vergilius in *Georgicis* solet (tam impares pace tua conferre liceat), rem per se inopem ac jejunam omnibus poeticis floribus canendo ornavit.

Quapropter vocabula ea, quae in carmen hexametrum non cadere possent, aut in margines libri aut in notas conjecit, ac forte, nomine *substantiae* pro *bonis* usus, se excusans dixit: « Alibi vox ista barbariem sonaret, aegreque carmini adhiberetur »; nunc obsoleta verba (*damnas*, id est *damnatus*) retrahit; nunc, *obligationis* nomine ejecto, *adstrictionem*, quae idem valet, ponit; modo forenses (*legatarius*), modo graecas (γράμματα), si numerus postulat, imo quoque barbaras voces (*alienandi* facultas), cum pernecesse est, inducit, vel novas fingit; testis est « caesaribus denis tenetur », quibus figurate, ob Caesarum imaginem impressam aureos nummos significare voluit.

Praeter haec, ut ipsius verbis utar, « quidquid leporum et figurati sermonis rei scabrities ferre poterat, inserere conatus est [2] ». Ut in *Phaedro* Plato, sic quoque noster personas in locis amoenis disputantes induxit:

1. P. 239.
2. *Lib. II argumentum.*

...ambo sedent ubi molli e cespite sylvam
Florumque herbarumque facit faecunda crepido.
Tum blando sic ore senex sensa abdita pandit,
Fante illo, Zephiri siluere, arrisit Olympus.
Et fluvius requievit aquas, et murmura pressit [1].

Nonnumquam, spinis definiendi ac vocibus juris propriis omissis, cum res ita fert, ad festiviora digreditur, seu Romam « divini consciam juris » laudat, seu quid habeat utilitatis jurisprudentia, demonstrat; seu, si quid de actionibus dicendum est, Themidem ac Musam invocat, quibus juvantibus rei par esse possit. Saepius ac fusius similia adhibuit; denique ad finem operis, recreandi legentis gratia, historiam adulescentis Laconis interposuit, qui dracuncula, quam aluerat, periculo capitis ereptus est.

Vel ea, juris propria, quibus exponendis potius soluta oratio quam versus congruere videatur, si retinere necesse est, gratiora verborum ornatu facit; sic enim, cum de divisione rerum agitur, res publicas definit:

Publica sunt quaedam quorum patet omnibus usus,
Libera proprietas patriae servanda negatur,
Qualia perpetuis currunt quae flumina lymphis,
Portunusque favens, piscosae et dona paludis,
Atque usus ripae, qua fas religasse rudentes,
Aut asportandas illic deponere merces... [2].

Itaque haud insolentius in extremo libro se extulit:

Haec in Castalidum leges, ususque dearum
(Scabritie vocum licet obluctante) redegi [3].

De Sacris Boessatii poematis

Quanta religione noster Deum coluerit, jam dixi; quae animo ei insita essent, saepenumero ipse tum oratione prosa, tum versu exprompsit; non nulla etiam poemata tantum ad religiones pertinent, adeo tamen ut in eis plurima theologia, minima sit poesis (*Hebraearum Heroïdum Epistolae, Sacrae Metamorphoses, Sacri argumenti disticha*).

1. P. 154.
2. P. 170.
3. P. 239 et 240.

Etenim in iis *Epistolis*, quibus Ovidium haud feliciter aemulatus est, minore studio rem ipsam complexus est quam argumenta quaedam ac documenta, quibus operi insuper additis libenter Bibliam, Novum ac Vetus Testamentum, Patrum scripta, laudare et commentari posset, ut qui litterarum sacrarum cognitione imbutus esset. Testis haec epistola, quam Josue a Raab scriptam esse finxit: duobus tantum ex versibus constat, de quibus ad « sensum multiplicem » explanandum uberius disputavit. Argumenta autem semper ea, quamvis ad carmen minus fuerint accommodata, sibi sumpsit, quibus, dum verborum sensum vel litteralem ab allegorico diducere studet, ingenii acumen scriptoris eluceret. Et ipsa *Epigrammata*, quae panxit, « Deum spirare » Boessatius confitetur. Quod idem in omnia ejusdem poemata transferre licet. Jam supra de *Martello* dixi, et quanto hoc sit ornamento, quod Deus et sancti viri rebus gestis adsint, admonui; et in ceteris poematis, Deum graviter ac magnifice loquentem induxit:

Non ego lascivo (dicit) te nectare potem,
 Deliciis mixta est culpa nec ulla meis.
Mille sed aethereo sparsas solamine poenas,
 Curarum in terris pondera mille dabo.
Adjiciam morbos, et saeva pericula, Christi
 Exemplo, et meritis ut patiare mei.
Ille ego sum adversis solitus pia corda probare,
 Omniaque in verum ducere vota bonum... 1.

Carmina, in quibus Boessatius de se ipse loquitur ac de suis

Qui contenderunt Boessatium, ne gloriosius de se ipso praedicare videretur neve quidquam de se ac suis notum esset, e libris nonnulla quaedam detraxisse, ii quidem vehementer erraverunt, quippe qui Poematum fragmenta, quibus noster aut quae sibi evenerant enarravit, aut parentium vel propinquorum laudes est prosecutus, nec legerint, nec noverint. Ego vero, cum jam ab eis multa transtulerim, plura dicere omitto, nec me fugit pleraque fragmenta, si quis vitam Boessatii notissimam habere vult, magni momenti

1. P. 287.

esse, sin autem artem spectat, vix in eis nonnihil delectationis esse.

Pauca tamen subjiciam de duobus elegiis; quarum altera noster, cum in Ligustica expeditione summum vitae discrimen fugisset, sibi ipsi reditum in patriam gratulatus est, ac Viennam, colles, flumen, omnia quae vidit puer, quae adulescens, concinnis ac lepidis versibus, mollissima voce, cecinit:

Hi mihi subrident colles: hoc aere vixi:
Illaque primaevo cognita ripa fuit.
Hic ego dum licuit, notam projectus ad undam,
Mille dedi libris oscula, mille dabo [1].

Altera, connubii jugum tandem subiturus, amicos sollicitat ut alternis choris Paeana et Hymena iterent. Qui jam in aliis carminibus amorem expresserat verbis illepidis profecto, immo subrusticis, eumdem amor quasi magister ita urbanum ac subtilem fecit, ut nimis exquisitus ac putidus auribus nostris nunc videatur, quod, ut opinor, factum est, non scriptoris culpa, sed temporum. Qui severus et asper esse solet, idem nunc vultu laeto exstat ac subridet; nunc ardet, nunc amicae formam ore pleno laudat, quam ut propitiam casto amori faciat, variis artibus aggreditur, non omissa locorum imagine grata:

Hic tamen ante alios foelicia munera Divum
Porrigit, et verno ridet honore locus;
Seu videas colles, fluvii seu stagna refusi,
Sive oculis rivos, et vada parva legas.
Cernis ut albentes crystallum radat arenas,
Saxaque per dubios agglomerata sinus.
Audin'ut allisa raucescat margine murmur,
Quam super assurgens molliter herba tegit?
. . . .
Cantat, amo, volucris, Nympha susurrat, amo.
Clemmia, quid dubitas? nos et cedamus amori:
Qui mare, qui terras, nos quoque tangat amor [2].

Carmina Boessatii quae ad aequales pertinent

Cum jam Boessatius in otium recessisset, tum etiam, extremo aetatis tempore neglecto, haud aequa-

1. P. 334.
2. P. 355.

lium immemor, rebus publicis intentum animum adhibuit; cui clarissimi viri, quibus antea inservierat, cordi erant.

Eorum laudes elate necnon magnifice persecutus, non sibi tantum derogavit ut, immodicus principum adulator, veritatem infringeret; semper contra veri cupidum ac liberum se ostendit.

Quam enim pulchre fictam orationem induit Momorantio, invictissimo duci, brevis momenti culpam capite luenti! Cimmartio quoque necato ac Thuano ingemuit, tanta eorum miseratio,qui et aetate et fama florentes, iidemque inter se conjunctissimi, morte immatura perirent, eum incesserat. Dum vero Mariam, Galliae reginam, inducit, altius verbis exsurgit poeta; qua nulla dignior, quae misericordiam permoveret, quod mater a filio deserta, regina regno ejecta, procul a patria, procul a suis, exsul, pauper, mortem miseram obierit:

Exilii, Ligeris, sedesque, viasque dedisti,
Tuque sub Eugenia Belgice, tuque Brito.
Mors obeunda fuit, nec in hac quoque parte quiesco,
Datque peregrinam Theutonis ora necem.
Inquies extat adhuc Ubiorum corpus in Urbe,
Quamque habuit vivens, jure reposcit humum.
I nunc, et titulos ignobile vulgus adora.
I, metue humanas turba inhonora vices 1.

Ut fortunam illius reginae miserandam quidem, haud tamen immeritam doluit, sic Gastoni fidus, vel postquam in otium ab aula secessit, studium atque operam navare non desiit:

Difficili hoc sane turbarum tempore, noster
Crevit amor, queisque olim animis.........
.... te sum comitatus, iisdem
Jam melior sensu, et plenis maturior annis,
Te sequerer rursus, nullos non ferre labores,
Nulli non certus capus objectare periclo 2.

Quamvis Gastonem summis laudibus extulerit, de Richelio tamen optime judicavit, quem non modo politicorum apicem et praeclarissimum rerum Francicarum administrum, sed etiam virum multiplici

1. P. 501.
2. P. 272.

doctrina excultum et exquisitissimo judicio praestantem fuisse dixit.

Nec praetermisit, ut par erat, tot tantasque res, quas rex Ludovicus vel per se vel per suos gessit, ac praecipue pietatem ejus et justitiam.

Quidquid igitur cecinit, cum nihil laboraret nisi ut de vita eorum ac moribus, qui laudarentur, documentum omnibus colligeret, nihil litteris mandavit, nisi verum, honestum, liberale.

CONCLUSIO

Haec de Boessatio Chorerius scripsit : « Jam inde a vetustis majorum temporibus, doctiorem, sanctiorem, humaniorem, Vienna non tulerat. In eo admodum pauca animadvertisses, quae aut abesse aut emendari velles [1] ».

At ei judicio non dubium est quin correctio quaedam adhibenda sit, quippe quod oleat laudatorem, non diligentem rerum scriptorem, nec mirum est : Chorerius enim, si quem sibi notum habebat, saepius ac libentius ad caelum extulit; sed, ut in laudandis illius aetatis scriptoribus quam nimium et animo caecum se praebuerit, plane perspicere possis, haec mihi pauca e quadam epistola ejus excerpere liceat : « Vous me refusez les mémoires qui me sont nécessaires pour faire mention de vous dans mes *Commentaires* latins. Ayez, s'il vous plaît, cette complaisance pour moy que tous les gens de lettres mes amis ont eue. Apprenez-moy vostre nom propre, vos occupations, vostre étude, vos employs, et enfin ce que vous voudrez que la République des lettres sache de vous et de ce qui vous regarde. J'auray du respect pour ceste matière et je la traisteray le mieux qu'il me sera possible [2] ». Valde quidem dubito an quis litterarum existimator vel lenissimus eo nunquam descenderit, quo Chorerius, ut omni libertate ac judicium faciendi jure se ultro abdicaret. Ego vero, ratus laudem minus ornatam multo magis nostro ad gloriam valere quam cumulum, satis habebo, si nostrum judicaveris et

1. *Vita*... p. 101.
2. Epistola Chorerii ad Antonium *de Grossi*, Aptensem, (1678), ab Allut, *op. cit.*, p. 357, edita.

divinis rebus perfecte planeque eruditum, et historicum, vel, ut verius dicam, narratorem rerum diligentem ac subtilem, et in versibus quidem gallice scribendis, ut suspicor, mediocrem, at tamen puri sermonis ac numerosi amatorem necnon interdum fuisse eloquentem, atque eumdem, latinis poematis conditis, haud indignis quae legerentur, gloriam capessivisse.

Ejusdem Chorerii sunt haec verba parum verecunda: « Viennensis Provincia illis habuit annis, quod ad litterarum gloriam attinet, unde non solum sese jactaret, sed etiam superbiret [1] ». Cui talia praedicanti non assentiar, praesertim cum singulos omnes eos, qui tum in Delphinatu et Viennae et Gratianopoli enotuerunt, persecutus sim. At, ut verius dicam, multi se litterarum amatores profitebantur maximeque causarum patroni, qui, cum jus et artes inter se non repugnare putarent, aut ipsi, vel adversante natura, quid in carminibus fingendis possent, tentabant, aut, si quis versus recitaturus erat, libenter aderant. Quorum opera obsoleverunt, indigna profecto quae ad posteros usque transilirent. Imo Boessatii memoria, quidquid in eo uno ingenii erat, scriptis oblitteratis, evanuit. Cuinam sint antiquiora et Ulmaei carmina, quae utrum insulsiora an absurdiora sint difficile judicium videtur, et Boessii Lusus poetici? Boessatius ad fingendum scribendumque natura aptus compositusque ad carmen erat; ceteri tantum ut otium consumerent, versificaverunt, haud quidem spernendi poematium fingendorum artifices, nec tamen meruerunt qui illo nomine quod iis solum tribuendum est qui spiritu quasi divino concitati carmina fuderint, appellarentur. Ex omnibus iis unus Chorerius, in genere quodam scribendi inferiori, stabiliorem gloriam sibi comparavit: qui, cum nihil ageret nisi materiam et quasi silvam ad rerum historiam scribendam conferret, tamen diligentissimus antiquitatis investigator, opus magnum confecit, ex quo etiamnunc, duobus post saeculis, eruditi viri multa haurire solent.

Gallice eos scripsit libros qui inscribuntur *Recherches sur les antiquités de la ville de Vienne et l'Histoire du Dauphiné*; cur suis Boessatius latinum sermonem adhibuit? Qui Ronsardi illius, cujus

1. *D. Salvagnii vita*, p. 157.

carmina saepe in manus sumpsisset, notam certe sibi habuerit hanc obtestationem : « Je supplie très humblement ceux à qui les Muses ont inspiré leur faveur, de n'estre plus Latineurs, ni Grécaniseurs, comme ils le sont plus par ostentation que par devoir; et prendre pitié comme bons enfants de leur pauvre mère naturelle [1] ». At ipse, cum opera sua extra Galliae fines in vulgus emanatura esse speraret, totius Europae litteratos in partem lectionis arcessere voluit; etenim testamento (gallice *donnation à cause de mort*) jussit « tirer ou faire tirer jusqu'à douze cent coppies complettes, lesquelles coppies seront vendues à diverses personnes et envoyées en divers lieux avecque telle prévoyance s'il se peult que de ces douze cent coppies, il y en ait cinquante pour l'Angleterre, cinquante pour l'Olande, cinquante pour la Flandre, plus cinquante pour l'Allemagne, plus cinquante pour l'Italie et pour l'Espagne, cinquante pour la Savoye, le comté de Bourgogne et la Lorraine et six cent pour la France, sçavoir trois cent pour Paris, cinquante pour Lyon... etc ». Quae cum scriberet, longe aberat ut animo cerneret sermonem gallicum mox per totam Europam longe lateque fluxurum esse.

Hanc vero opinionem, ut Gallicus sermo ad scribendum minus quam latinus valeret, unde imbibisset si quaeris, respondere licet hanc in nostro Jesuitarum disciplinae notam apparere, quo neminem planius ad similitudinem sui effinxerunt.

Etenim clarum est nihil Jesuitis antiquius fuisse in pueris instituendis quam ut eorum discipuli latine scribere versus possent, neque ullum diem festum praetermisisse quin carmen latine conditum recitarent. Quo factum est ut in eorumdem collegiis perdiu talia scribendi laus viguerit, nec dubium est quin apud Jesuitas puer adulescensve sedisset, qui haec anno 1706 scripsit: « La poésie latine est peut-être ce qu'il y a dans les lettres humaines de plus rare et de plus précieux. Elle suppose, avec un génie heureux, une fine érudition et un goût exquis. C'est pour les doctes une sorte d'épreuve, qui leur fait voir en un moment

1. Praefatio *Franciadis*. — Mambrunus autem contendit quosdam gallice tantum scripsisse ut a mulieribus legi possent : « Solae legunt, inquit, solae laudant, solae etiam emunt mulieres. Quare ad eas itur, apud eas recitatur, earum judicio arbitrium litterarum permittitur ». (*Dissertatio peripatetica*), p. 248.

le progrès que l'on a fait pendant plusieurs années [1] ».

Erant qui jamdudum istos latinae linguae fautores ineptos, qui vulgo *latineurs* vocabantur, increparent: ex his unum commemorare debeo, non quod clarissimus sit, sed quia, Delphinatu ortus, fere Boessatii aequalis fuit, Claudium Expillium videlicet dico; de quo quidam scripsit: « Il disoit que les ouvrages des poètes latins des derniers siècles, pour élabourez qu'ils fussent, périssoient, et mouroient ordinairement plutost que leurs autheurs; que de ce grand nombre dont Scaliger et Giraldus font mention, il ne s'en trouve plus rien; et que si quelqu'un parmy les modernes devoit prétendre de passer dans quelques siècles à venir, c'estoit Sannazar, Jean Second et Bonnefont, qui ne devoient rien aux anciens, et si pourtant tout cela estoit mangé des teignes et de la poussière dans quelques vieilles bibliothèques [2] ».

1. *Journal des Savants*, die altero et vicesimo Februarii mensis. Conferantur *Prolusiones oratoriae, poëticae, philologicae*, quas proluserunt Rhetores viennenses, in aula collegii viennensis, soc. Jesu, die 9e mensis septemb. ann. MDCXCIX: « singula poëmatum genera percurremus obiter... quid sit epigramma, epitaphium (Epicedium, Naenia, Pompa funebris), elegia, ecloga, satyra, etc. Caetera minora poëmata in manipulum collecta dissolvemus; cujuslibet naturam explicabimus et definitione et exemplis. Ejusmodi sunt Genethliacum, Eucharisticum, Inaugurale, Hymnus, Epinicium, Epithalamium, Apobaterium, Epibaterium, Protrepticum... etc. ».

2. Boniel de Catilhon: *La vie de Messire Cl. Expilly*, 1660, Grenoble, p. 141.

APPENDICES

I

AGGREGATION DE M. DE BOISSAT A L'ACADÉMIE DES ÉMULATEURS D'AVIGNON (Bibl. gratian.)

L'Académie des Emulateurs à tous ceux qui ces présentes verront, salut. Nostre St-père le pape Alexandre septième ayant ordonné l'establissement de nostre compagnie suivant les lettres patentes du 3e mars 1658, affin de composer un corps de nombre de personnes de condition et de mérite, instruits aux belles lettres, qui sous l'authorité de Mgr l'Eminentissime cardinal légat d'Avignon et sous la protection de Mgr le vice-légat et de ses successeurs se pourroient assembler dans le palais apostolique en ceste ville pour y vaquer à la connoissance et s'appliquer à l'observation des règles du bien dire en diverses sortes de langues, principallement en la langue françoise, et par ces conférences particulières establir des exercices qui pourroient contribuer à l'utilité du public. Notre compagnie eut le pouvoir d'eslire les personnes qu'elle jugeroit propres aux fonctions académiques et de les admettre en ses assemblées, après que Mgr le vice légat protecteur de l'Académie en auroit approuvé le choix. A ces causes nous en vertu dudit pouvoir et ensuitte de l'agréement de Mgr Gaspard de Lascaris, vice légat et gouverneur général pour sa Sainteté en la légation d'Avignon, protecteur et chef de l'Académie, ayant esleus messire Pierre de Boissac pour un des académiciens dont elle est composée, avons déclaré et déclarons par ces présentes que le dit sr de Boissac aura en ceste qualité dorénavant entrée, séance et voix délibérative dans toutes nos assemblées, tant ordinaires qu'extraordinaires, pour y vaquer aux exercices de l'Académie et

jouir comme les autres membres de ce corps de tous les honneurs, avantages, privilèges et droits qui leur seront attribuez, à la charge d'observer les statuts et règlement de nostre Compagnie, et de se soumettre à toutes les résolutions qui seront prises dans nos assemblées suivant le serment qu'il en fera entre les mains du directeur de l'Académie, et en son absence en celles de l'un des autres officiers qui y présidera. En témoignage de quoy nous avons fait expédier ces présentes et sceller du sceau de l'Académie à Avignon, le 15e jour de juin 1661, pour l'Académie Peraud, secrétaire perpétuel de l'Académie.

.....Aujourd'huy 19e juin 1661, M. de Moirous, directeur de l'Académie a fait et presté au nom et en l'absence de M. de Boissac cy dessus nommé le serment auquel ledit sr de Boissac estoit obligé en qualité d'académicien, et ce entre les mains de M. de Salvador, chancelier de l'Académie et en présence de moy soubsigné secrétaire perpétuel de lad. Académie, Péraud.

II

RECENSIO OMNIUM OPERUM BOESSATII

Pleraque Boessatii opera, ut supra dictum est, non evulgata sunt [1]; quo tamen modo ea typis mandari vellet, scriptor ipse admonuit, « à sçavoir mes poésies latines en un tome à part, mes pièces historiques latines en un tome à part, ma métaphysique en un tome à part, ma physique encyclopédique en un tome à part. mon éthique en un tome à part, mes poésies françoises en un tome à part, et toutes mes œuvres de prose françoise en un tome à part ». Quae omnia, hoc ordine servato, breviter percensere mihi propositum est.

I. — Poemata omnia latina continentur uno volumine, quod perrarum inventu frustra Parisiis perquiras; ego vero, cum plures bibliothecas intentissime pervenatus sim, exemplares tantum quinque videre potui: scilicet duos in Lugdunensibus bibliothecis [1], duos Viennae in Archio Hosp., unum apud H. de Terrebasse.

1. Codices exstant in archio Vienn. Hosp.; quos percensendos curavit Prudhomme, Isarae archio praepositus; vide *Catalogue des Manuscrits conservés dans les dépôts d'archives départementales, communales et hospitalières*, 1886, p. 366.

Haec sunt poemata:

Martellus, seu de Saracenis a Carolo Martello deletis.

Hermonomi, sive Institutionum Imperalium libri IV.

Sylvarum liber primus *heroïca poëmatia* continens; secundus, *elogia quibusdam imaginibus ad vivum expressis apponenda.*

Elegiarum libri tres: primus *sacras* continens; secundus, *funereas*; tertius, *communes.*

Hebraearum Heroïdum Epistolae.

Sacrae metamorphoses.

Nobilium Plantarum metamorphoses.

Epigrammatum liber singularis.

Tumulorum liber singularis.

Sacri argumenti disticha, quibus veteris Testamenti figurae ad novi mysteria reducuntur [2].

II. — *Opera Historica :*

Pusinensis obsidio.

Navigatio melitensis.

Ligustica expeditio.

Anglorum ad Rheam excensio et Rupella obsessa.

Rupella capta.

Silva-Ducensis expugnatio.

Lotharingiae captae libri sex.

Ex iis multa jam excerpsi, ut vitam Boessatii describerem ; dicendi autem genus, nisi fallor, dilucidum ac subtile et uno tenore profluens attulit, quippe qui, omissa plerumque causarum ratione, quos rerum successus vidisset, ad incorruptam historiae fidem enarrare aggressus esset; orationis quidem reprehendendae facultas legenti a scriptore datur, rem unam, ut ait ipse, impollutam vult, nar-

1. Quorum alteri hoc manu quadam inscriptum est: « Le sçavant Monsieur de Boze dans le catalogue des livres de son cabinet semble insinuer que l'exemplaire qu'il a des œuvres de Boissat est unique, il se trompe ». Alter ita significatur ab Oliveto (*Hist. de l'Acad*, t. II, p. 86): « J'en ai tenu depuis peu l'exemplaire qui appartenait à Chorier lui-même. et qui se garde dans la bibliothèque du grand collège de Lyon »; notulam addidit Livetus, doctissimus vir : « Il est aujourd'hui dans la bibliothèque de l'Académie et provient du legs que lui a fait Pierre Adamoli ».

2. Quod si quis in enumerationibus nihil praeterire studet haec addenda sunt (H. 66):

Poemata ad Christinam dedicata, de quibus supra dixi.

Mariae Valernodiae pro Epicedio paean.

Syncharma Annae Claramontano Cattaeo Gessiano, in sacri equitum Johannitarum ordinis magnum magistrum evecto.

In procinctu deditio ad Claudium Menestrerium.

Ludovici XIV et Mariae Teresiae epithalamium.

Ethicae Christi : poema, quo noster minus ad elegantiam sermonis ac venustatem quam utilitatem spectavisse videtur.

Elegia funerea, in Andream *de Baïs* scripta (1657), et typis mandata : cf. Saint-Aubin, *op. cit.*, p. 141.

rationis fidem : « Hanc mihi ne deneges, obtestor ; immo exigo ; sancteque affirmo me non tantum sincere narrasse, verum etiam quod ab aliis peccatum est, haud uno in loco supplevisse ».

Non dubium est quin his relationibus *litteras* quoque latine scriptas, quas temporibus diversis ad amicos miserat, adjecisset.

Praeterea in extremo libro ea collegisset quae commentatus erat, hac inscriptione summae toti adjecta ; *Paradoxa critica*, seù inaudita quaedam et amoenae circa veterem Historiam conjectationes. Valde mireris quam multa ac varia erudite disseruerit, et orbis terrarum descriptionem, et omnium rerum memoriam amplexus, et in grammatica, et in iis, quae ad mores, instituta, religiones pertinent, ne mathematica quidem neglecta, tam acri studio versatur, ut, cum nihil a se alienum putaret, recte dictus esset vir cyclicus, vel, ut recentiore verbo utar, encyclopaedicus.

III. — *Metaphysica consecrata*, sive Descensus rerum a Deo, per viginti quatuor speculationes ex omnium quidem metaphysicorum, maxime vero Campanellae libris nec non ex propriis conceptibus conflatas et frequentibus Deiloquiis sparsas (H. 59).

IV. — *Physiologia Encyclopaedica* in omnibus sui partibus consecrata, sive inauditum physicae genus rerum omnium naturalem historiam considerans (H. 57 et 58).

V. — *Ethicae Christi* Philosophorum omnium Ethicam aut emendantes aut complexae (H. 56).

De eodem non siluerunt aequales, neque tamen ex aliqua parte errare non potuerunt. Pellisso enim, ubi ad Boessatium venit, in *Catalogue de Messieurs de l'Académie*, hoc falsum tradidit : « Il fait imprimer un volume de *Poésies* et une *Morale Chrétienne* ». Auctore Allardo, Trillardus e Societate Jesu « travailla à rendre publics la *Morale* et les autres savants ouvrages de Boissat [1] ». Hic enim, pariter cum duobus amicis, Boessatii libros, in vulgus emittendos suscepit, nec tamen hic liber, de quo agitur, in lucem venit ; itaque, proximo saeculo ineunte, ab amico quodam suo Olivetus percontatus est : « Auriez-vous jamais lu la *Morale chrétienne* de P. de Boissat ? » De quo, cum nihil certi accepisset, in quaerendo perstare placuit :

1. *Bibliothèque du Dauphiné*, 1680, Grenoble.

« Pour la *Morale chrétienne* de Boissat, vous ne doutez pas que je n'aie consulté Chorier; mais de tous les historiens que j'ai jamais ouverts, je n'en connais point de moins exact [1] ». Falso arguitur Chorerius, qui minus quidem de ceteris rebus diligens, de hac tamen a veritate non discessit; etiamnunc re vera exstat codex, quo continetur *Ethica*.

VI. *Quae Gallice scripta sint, tum versibus, tum soluta oratione.*

A. — Quae legas in cod. H. 67 cum hac inscriptione : *Mélanges de proses et de vers*, ea plerique ad hoc tempus in Boessatium contulerunt [2]; qui tota via erravere.

Nonnullis enim carminibus poetae nomen aut subscriptum est [3], aut inscriptum [4]; alia quaedam, nullius nomine inscripto, apud Benseradaeum, Gombustum, Santamantium, Vetturium, et alios quoque, inveni ; omnia autem ea, quae soluta oratione scripta sunt, ex aequalium libris sunt excerpta. Sequitur ut hic codex, compilationis instar, ex locis eclogariis constet, nec Boessatii nomini addici possit [5].

Affirmare tamen pro certo licet Boessatium vernaculae poeseos nec incuriosum nec rudem fuisse, eumdemque non tantum eas nugas, quae inscribuntur *Description d'un désert*, *Stances à Neufgermain*, vel id tetrastichum, quod magna cum laude Talemantius attulit [6], sed etiam plures versus, minus faciles et absurdos fecisse sermone patrio.

Quos autem editurus esset in prima codicis H. 63 pagina, cui pauca perincommode deficiunt, ipse docuit :

« Poemata gallica continent :
Sacram liricam
Castos amores
Eximiorum quorumdam...
Et satiras morales ».

1. *Hist. de l'Acad.*, t. II, p. 413 et 414.
2. Prudhomme, *op. cit.*
3. Haec sunt Benseradaei : *Stances pour une dame disgraciée d'auprès de la reine*, *Advis à une dame sur la jalousie de son mari*, *Jouissance*.
4. Quaedam inscribuntur : *Epigrammes de M. Colletet.*
5. Adde quod nusquam in indice Boessatii scriptorum, quae anno 1668 recognita sunt, fit mentio codicis ejus H. 67 ; quomodo fieri potest ut quid auctoritatis retineat ?
6. De muliere agitur, cujus caput enorme ridetur :

Dieu, qui gouvernes tout par de secrets ressorts,
En faveur d'une dame accorde ma requeste.
Donne-lui le corps de sa teste,
Ou bien la teste de son corps.

(*Historiettes*, t. III, p. 50). — Quidquid autem Boessatius admodum juvenis composuerat, delere, non edere ei in animo erat.

Perierunt haec omnia poemata; periit quoque tragaedia de Anna Bolana, quam eximia laude ornavit Chorerius [1].

B. — Prosa oratione admodum juvenis Boessatius gallice scripserat *Lettre de consolation à M. de Créquy, sur la mort de M. le connestable de Lesdiguières* [2]. In iis turget noster, ac putide loquitur, orationis luminibus ac floribus congestis, quasi minus Lesdiguerii vitam exponere, quam legentium aures verborum magnificentia delectare voluisset. Quid multa? ineuntis aetatis inscientiam redolent.

Sequuntur duo libri, quos a Boessatio scriptos esse satis constat:

Histoire négrepontique, contenant la vie et les amours d'Alexandre Castriot, arrière-neveu de Scanderberg, tirée des manuscrits d'Octavio Finelli, et traduite par Jean Baudoin, Paris, 1631, *in-8*; 2ᵉ *édit.*, 1731.

Fables d'Esope, illustrées de discours moraux, philosophiques et politiques, par Jean Baudoin, Paris, 1633, in-8.

« Utrumque, dixit Chorerius, Balduinus, suppresso auctoris nomine, suo inscripto, in vulgus opus emisit. Factum quidem nec probavit Boessatius, nec etiam, pro sua in amicos indulgentia, moleste habuit [3] ».

Jam pluribus verbis dixi de *Orationibus* quas noster apud conventus clarissimorum virorum habuit.

Eodem codice continentur ac Boessatii litterae selectae: *Recueil de quelques lettres choisies.*

In fine codicis H. 51 exstat liber, qui inscribitur: *Les Hymnes de Synèse, évesque de Ptolémaïde, esclaircis et embellis d'un riche commentaire théologique, platonique, critique, avec une version aussi scrupuleuse qu'elle s'est peu faire en nostre langue, afin qu'elle fut plus accomodée à son commentaire.*

Codex autem H. 52, quamvis minus emendatus

1. Cf. *Icon...*, p. 70; *vita*, p. 66. — Falso Maignien dixit (*Dict. des anonymes et pseudonymes dauphinois*, 1892, Grenoble, n° 727) a Boessatio scriptum esse hunc carminum libellum, *Echo dauphinois, sur le congé donné à Madame la connestable de sortir de la cour*, 1622.

2. 1626. — Primum eas dedit *le Messager Dauphinois*, 17 juin 1855; iterum typis mandavit H. Gariel, *Delphinalia*, 1855, Grenoble, p. 129.

3. A. Chorerio dissentit *La Monnoye*, (*Note sur les Jugements des savants*), qui, nescio qua de causa, utrumque in Balduinum contulit; in eodem errore versatur Barbier: vide Quérard, *Superch. litter. dévoil.*, p. 469. — Tanta laude floruit *Historia Negrepontica* ut *La Calprenède* ex ea non nullos locos, res, personasque, in suum librum qui inscribitur *Cassandre* transtulerit.

sit, quaedam tamen nova opuscula continet: *Essais de traductions et de paraphrases*; haec sunt praecipua:

Quatre homélies de Saint Bernard sur l'Annonciation.

Traduction de deux lettres du grand Saint Léon, pape, à l'impératrice Pulchérie.

Traduction d'un discours italien du Père Campanella au roi Louis XIII.

Paraphrases de quelques proses choisies entre celles que chante l'Eglise.

Postremo, Boessatius, tribus ante annis, quam e vita decessit, in lucem emisit librum eum, de quo jam saepius dictum est: *Relation des miracles de Nostre-Dame de l'Ozier, escrite en deux langues, en faveur des nations étrangères, avec des vers à la louange de la Sainte-Vierge, en cinq langues, Lyon*, 1659.

III

QUOS CASUS EXPERTA SINT BOESSATII OPERA

Recte quidem dixit d'*Artigny*: « Tous ceux qui en ont parlé n'ont débité que des conjectures, fausses pour la plupart, et mal fondées [1] ». Quod idem de eo dicere licet: res enim non liquet, nec mihi quidquam aliud proposui nisi falsas opiniones quasdam evellere ac probabiliores, si ullo modo fieri potest, aperire.

Nihil aliud Boessatius, ut supra dixi, praelo subjecit quam latina carmina historiasque; si autem hunc librum perrarum in manus sumpseris, quis excuderit, qua urbe, quo anno frustra requires; etenim deest prima pagina, in qua haec omnia legi solent; nunc quaerenda esse mihi videntur.

Lugduni apud Guill. Barbierum, qui jam anno 1659 *Relation des Miracles de Notre Dame de l'Ozier* excuderat, librum impressum esse certo scimus. Nam in instrumento, quod nono ac vicesimo die febr. mensis anno 1668 obsignatum est, inscriptum videmus « le sieur Barbier, fils de feu sieur Guillaume Barbier, qui avoit imprimé lesdits ouvrages ».

Anno 1649 eumdem typis mandatum fuisse pro certo affirmare licet: hoc testatur ipse Boessatius, dum in notula quadam de Nicolao Borbonio tradit « quinos

1. *Nouv. mém...*, t. II, p. 2.

abhinc annos sexagenario major extinctus est [1] »; Borbonius autem mortuus est anno 1644.

At mox haeret impressio libri; nam circa annum 1654 Boessatius ipse dicebat : « Ce que j'ai fait desja imprimer des susd. œuvres, qui sont mes poésies latines et partie de mes pièces historiques latines [2] ».

Non unam praefationem libris suis Boessatius praescripsisset, qui ab amicis, a Chorerio imprimis petierit « de faire une prefface, oultre la prefface de l'autheur, laquelle prefface dud. sieur Chorier ou d'un aultre, sera conforme aux intentions qu'ils auront vues aud. autheur, ou à la cognoissance qu'ils auront heu de sa vie, de ses mœurs et de son ouvrage ». Unam tamen Boessatius perfecit, quae, cum ad relationes historicas pertineat, « quibus argumentis adductus author hoc historiarum scripserit, et latinis maxime litteris consignarit » exponit. Eum praeterea et *Martello* et *Hermonomo* praefationes inscripturum fuisse, hoc probabiliter ex nonnullis paginis, quae purae et integrae exstant, confici potest. Illa autem, quam ut principio totius operis inscriberet, Boessatius maxime appetebat, quoque deest; cujus locum explere possunt Chorerii duo libri *de vita et amicis litteratis Boessatii*.

Non tantum ea, quae explere conatus sum, in his Boessatii libris desiderantur; sed multas etiam paginas scriptura vacantes videas. Unde fiat ut tot in iisdem passim deficiant, non satis expedivit Rochas his verbis : « Tous les commencements des pièces ont été enlevés, sans doute, afin de supprimer les endroits où se trouvait le nom de l'auteur [3] ».

Nam plura desunt, quam dixit, ac plerumque sine delectu sparsa sunt, nullo ordine servato, adeo tamen ut in omnibus libris exemplaribus, quos in manus sumere potui, eadem iisdem locis deficiant.

Contenderunt quidam Boessatium opera in vulgus emittendi consilium abjecisse [4]. At certo scimus nostrum de libris iis edendis, quos hereditate pauperibus reliquerat, semper, dum vita suppetit, in eadem voluntate fuisse. Testatur ipse anno 1655, affirmans sibi consilium esse « de haster l'impression et le fruict qui s'en pourra tirer pour l'instruction des esprits et pour la satisfaction des confréries [5] ». Idem ait anno

1. P. 335.
2. Cf. St-Aubin, *op. cit.*, p. 141.
3. *Biographie...*, t. I, p. 155.
4. *Hist. de l'Acad.*, t. II, p. 86.
5. In archio Hosp.

1657 : « J'ay retiré d'icy mes ouvrages partie pour les corriger et partie pour haster l'impression [1] » : praeterea anno 1659 his verbis Beatam virginem precatur : « Obtenez de Dieu, protectrice infatigable des chrestiens, une onction céleste pour cet ouvrage, et pour d'autres plus laborieux, qui vont paroistre sous l'espérance de vostre protection [2] ». Denique testamento, quod paucis ante diebus quam excessit e vita, conscripsit, nonnihil pecuniae ex hereditate sua detrahi jussit, ut in libris suis edendis consumeretur.

At Boessatii filia, si qua fides *D'Artigny* habenda est, cum patrem testamentum istud obsignavisse aegre ferret, omnes libros exemplares amputari jussit. Cujus opinionem plerique, libro ipso in manus ne quidem sumpto, temere secuti sunt. Multa sunt tamen argumenta, quae eam in dubium vocent.

Primum enim exemplares in cella reconditi erant, quam Boessatius Lugduni conduxerat. Quorum numerum quibus anno 1668 recognoscere mandatum est ii nobis, quae invenerint, tradiderunt : « On trouva les copies imprimées emballées tellement pressées et couvertes de poussière qu'il fallut tirer lesd. balles du galetas, ne pouvant lesd. balles estre dépliées dans led. galetas à cause de son peu d'estendue, et que le couvert en estoit si bas qu'un homme n'y peut estre debout qu'en quelques endroits....

...Plusieurs desd. coppies ont esté mouillées et mangées par les rats aux extrémités des feuilles.... ne croyant pas néanmoins que cela en empesche la débite. Parmi lesd. coppies, il n'y a aulcun tiltre desd. livres, préface, table, épitres dédicatoires, ni mesmes le nom de l'auteur ». Sequitur ut id temporis iidem essent quos excuderat Barbierus ; annis quoque insequentibus omnes in integro manserunt ; testis est is, minime ceteris absimilis, quem anno 1668 Chorerius accepit.

Accedit eo quod, qua ratione liber amputatus fuisset, nullo modo comprehendi potest. Qui convenit ut in *Historicis Relationibus* pagina deficiat octava ac septuagesima, non septima, vel una et octogesima, non altera ? Quid plura, ut hic error, longe lateque diffusus, tollatur ?

Re autem vera noster in animo habebat libros suos, ut perpoliret, retractare, immensum opus, si plera-

1. In archio Hosp.
2. Vide *Relation*, in praefatione.

que de integro, ut de *Martello* poemate accepimus, scribere aggressus erat; at eum, aetate ingravescente, adeo religiones ac Dei cultus occupatum tenuerunt, ut in posterum etiam atque etiam editionis curam differret, quam tandem ad perficiendam tempus defuit.

Falso igitur Boessatii filia, et uxor ipsa, in quam quibusdam transferre culpam visum est, accusatae sunt quod Boessatii opera corrumpere voluissent.

Ceterum ad multos fortunae casus ac varios objecti sunt hi exemplares libri, non mille et ducenti, ut tradidit *D'Artigny*, sed mille admodum et quingenti. Uxor Boessatii, Clementia, cum ejus libros se non hereditate accepisse moleste ferret, suo nomine ac filii sui, ut testamentum rumperetur, Hospitalis curatoribus litem intendit. Itaque anno 1668, ut supra dixi, et codices et libri recogniti sunt.

Anno 1669 heredes de tota lite pactionem facere tentaverunt. Cum res ad irritum cecidisset, Boessatii opera, quae, ut Chorerii verbis utar, « nescio qua inclementia fati, aut negligentia familiarium, in obscuro cum blattis et tineis latentia pugnabant [1] », demum anno 1680 curatoribus commissa sunt, ut praeceperat Boessatius.

Quid autem facerent iis imperfectis libris? « En 1720, feu monsieur Didier, doyen de l'Eglise de Vienne, proposa à messieurs les administrateurs de se défaire des exemplaires en question ; on fit venir des libraires de Lyon et de Grenoble; ils refusèrent de les acheter, quoiqu'à un prix très modique. Alors M. Didier en fit brocher cent cinquante, qui furent distribués à différens particuliers, ou placés dans les archives des Eglises de Vienne et des maisons religieuses. Ce qui restoit fut vendu à des marchands épiciers [2] ».

VIDI AC PERLEGI
Lutetiae Parisiorum in Sorbona
a. d. V Kal. Jul. MDCCCXCIX.
Facultatis Litterarum
in Universitate Parisiensi decanus.
A. CROISET.

TYPIS MANDETUR.
Academiae Parisiensis rector.
GRÉARD.

1. *Carminum liber*, p. 14.
2. D'Artigny, p. 6. — Cujus rei non fit mentio in Regestis Hosp., quae ad annum 1720 pertinent.

NOMINA

HOMINUM ET LOCORUM GALLICE REDDITA [1]

1. In iis nominibus latine vertendis, auctores mihi fuerunt Boessatius *(Fragmenta)*, Chorerius *(Boessatii vita, D. Salvagni Boessii vita, adversaria)*, Huetius *(Comm. de rebus ad eum pertin)*.

CONSPECTUS RERUM

Vienne, imp. OGERET & MARTIN, 13, place de l'Hôtel-de-Ville (2e étage)